

54

(10)

Josephus Pnyski  
Studii Cracoviensis p. t. Rec. M.  
recordationis causa

1000

editor.

THEATRUM VIRTUTUM

2548

STANISLAI

CARDINALIS HOSII.

2195-00

P: 104  
L: III Ed

2548

**THEATRUM VIRTUTUM  
STANISLAI CARDINAL. HOSII  
EPISCOPI WARMIENSIS**

PER

**THOMAM TRETERUM**

**CANONICUM CUSTODEM WARMIENSEM**

**CENTUM ODIS ILLUSTRATUM**

**PRIMUM CRACOVIAE A. MDCLXXXV**

**LUCI PUBLICAE EXHIBITUM**

**NUNC TERTIO POST OPTIMI PRAESULIS  
MORTEM SAECULO ELAPSO**

**DENUO RECOGNITUM**

**ATQUE EPISCOPO CLEROQUE WARMIENSI**

**AD INSTAR XENII DEDICATUM**

**IN PIAM MEMORIAM DIEI V. AUGUSTI  
MDCCCLXXIX.**

---

**BRUNSBERGAE.  
EX OFFICINA WARMIENSL.**





82-1-9

Ale. 578. 2018

Simonis Starovolscii  
Vita Thomae Treteri  
scripta a. 1625.

Thomas Treterus natione Polonus, patria Posnaniensis, (honestis parentibus die 1. Martii a. 1547 genitus) vir fuit vere, hoc est propria virtute nobilis, statura corporis supra mediocrem decenti, facie verecundus, patula utcunque fronte, vividis oculis et ore prono in humanitatem ac misericordiam; sermone comis et affabilis, cultu ac sensu de se modicus. Is adolescentulus in Hosiano Brunsbergensi Collegio Soc. Iesu mansuetioribus humanitatis ac eloquentiae Musis perpolitus cum fuisset seque amplissimo Cardinali Stanislao Hosio ingenii ac morum elegantia mirifice probasset, eius in familiam aulicam adlectus, gravioribus Romae scientiis addictus, superstiti suo Maecenati continenter fidus Achates adhaesit. Secretarius deinde S. R. P. Annae Iagelloniae in Urbe constitutus (qua etiam dignitate Ser. Reges Stephanus et Sigismundus III. illum coherestarunt), mirum quam vitae integritate, animi candidi sinceritate, morum verborumque virtutum dignitate suspiciendus summis, mediis, infimis charus atque iucundus vixerit, Gregorio III. Pontifici vere Optimo Maximo nec non Clementi VIII. vehementer acceptus. Hic legandus Cardinalis in Polonias a Tretero de omnibus informatus, ille suae gentis insignia eidem nobilitato (quantushonos!) ursurpanda muneras. Canonicatu Romano S. Mariae trans Tiberim et Olomucensi donatus col-

latos sibi altiores in aula, in ecclesia dignitatis gradus modeste recusavit. Cum S. R. E. Cardinali Andrea D. Bathoreo, Regio Nepote, Roma reduce, Warmiam se recepit, cuius interventu ecclesiae Canonicus pridem census fuerat. Peridoneam hanc pietati ac otio literario solitudinem negotiosae aulae ac infulæ prudens volensque praehabuit. Ubi coepit probitatis, solertiae, humanitatis tenore, nullo supercilie, nullo temporiperdio, reliquum vitae laudabilissime posuit, perenne domesticis, exteris, nobilibus, ignobilibus, doctis, inopibus asylon atque diversorum, commemorabili hospitalitatis in advenas, in egenos benignitatis exemplo. (Diem supremum obiit Frauenburgi die XI Februarii a. MDCX).

Scripsit Romae: (1.) Romanorum Pontificum compendiaria gesta soluto vincitore sermone (nondum edita). (2.) De vita et miraculis S. Benedicti carmina diversis generibus subiecta (nondum edita). (3.) Ad effigies Imperatorum Romanorum Elogia (Romae 1573). (4.) Theatrum virtutum S. R. E. Cardinalis Stanislai Hosii iconographico opere non sine sententiosis lematis (Romae 1588). (5.) Centum in easdem virtutes Odas (Cracoviae annis 1685 et 1686 typis Francisci Cezary, cura et impensis Matthiae a Lubomierz Treteri, grati nepotis, luci publicae exhibitas). (6.) Symbolicam vitam Christi, una cum Christianis virtutibus post obitum editam (Brunsbergae 1612).\*) (7.) Elenchum vocularum Horatiani poematis, (Antwerpiae 1575) de quo gratias Tretero egit scite scripta

\*) Praemissa est huic operi vita Treteri, quam Starovolscius noster ad verbum fere secutus est. Plura si velis cf. vitam Treteri ab Antonio Eichorn p. m. conscriptam in Erml. Zeitschr. III, 552 et in vita Stanislai Hosii I, 14, unde patet carminum Hosianorum centuriam iam a. 1582 a Tretero absolutam fuisse (Uncis inclusa ab editore addita sunt).

Ode unus Gymnasiarchorum Elbingensium.  
 Warmiae vero scripsit: (8) Hierosolymitanam  
 peregrinationem Illustr. Domini Nicolai  
 Christophori Radivilli Nesvisiensis et  
 Olicensis Ducis Latinitate donatam (Bruns-  
 bergae 1601) (9). Sacratiss. Corporis Christi  
 historiam et miracula aeneis typis illustra-  
 tam (Brunsbergae 1609). (10) Seriem et acta  
 Episcoporum Posnaniensium (Brunsbergae  
 1604). (11 De Episcopatu et Episcopis Eccle-  
 siae Warmiensis, post obitum edit. Cracoviae 1685).  
 et complura alia pietatis monumenta.

Unde iure haec illi elogia postuma fama occinit:

### I.

Warmia semper habes, te quorum scripta celebrent  
 Virtute insignes ingenioque viros.  
 Sylvius et Cromer historiis, Copernicus astris,  
 Clarus avitae Hosius religionis Atlas,  
 Vates Dantiscus; numeras et in hisce Treterum  
 Iure, sed heu! quantum Warmia sidus humas.

### II.

Penna, peniculo, cestris astrisque, Tretere!  
 Tu Numa, Naso, Mycon unus erasque Myron.

### III.

Brunoris articola, te nato Posna Tretere,  
 Roma Palatino, Warmia laeta patre.

### IV. (Jascrovicii).

Edidit hunc celebris (celebris) Posnania mundo,  
 Dotibus ingenii clarus ubique foret,  
 Orbis Roma caput Mystae dignatur honore,  
 Primo constituit Warmia clara loco.  
 Doctrina meruit, meruit pietate Treterus,  
 Utraque eximium qui ferat urbe decus.



## Editor lectori S.

Treterus noster grato illo animo, quem omnes honestae indolis profitentur homines, Cardinalem suum vel mortuum prosecutus, qua erat pingendi sculpendique arte haud mediocrem instructus, patroni studium eo est testatus, quod pictis a se aerique insculptis centum imaginibus, quae Varsaviae nunc Petropolique asservantur, ipsum concelebraret theatrumque quasi quoddam virtutum Stanislai Hosii exhiberet, quod centum odis exinde diversorum metrorum illustravit. Unde fit, ut saepius in carminibus nostris ad picturas suas respiciat. (Cf. carm. 8, 5; 10, 2; 30, 4; 37, 7; 38, 4; 59, 23; 63, 1; 64, 4; 75, 4; 100, 11; coll. Erml. Past. Bl. XI, p. 68). Ceterum, quod dolendum est, carminum suorum centuriam ipse prelo non subiecit, quare haud pauci in editionem a Matthia Tretero a. 1685 (resp. 1686) publici iuris factam unicam eandemque rarissimam irrepserunt errores. Quibus, quum autoris autographon vel alias codex manuscriptus hodierum aut non exstet aut certe lateat, coniecturis medendum erat. Quarum quae notabiliores visae esse sunt in textu nostro ad hodiernam scribendi interpungendique consuetudinem redacto uncis inclusae apparent. (Cf. carm. 22, 18; 23, 6; 26, 49; 29, 2; 30, 22; 30, 51; 39, 28; 46, 37; 52, 2; 55, 15; 59, 2; 61, 36; 64, 45; 65, 34; 79, 13; 85, 18; 96, 2; coll. Erml. Zeitschr. VII, 1 sq.)

Vale, lector benevole, nostrisque curis in hoc virtutum theatro denuo aperto perfruere!

Brunsb ergae.

F. Hippler.



# INDEX CARMINUM.

	Pag.
I. Patria et natalis dies (5. Maii 1504)	1
II. Votum matris . . . . .	2
III. Pueritia . . . . .	2
IV. Vitae monasticae desiderium . . . . .	3
V. Puerilis abstinentia . . . . .	4
VI. Profectus in litteris . . . . .	5
VII. Haereseos detestatio . . . . .	6
VIII. Adolescentia . . . . .	7
IX. Illecebrarum contemptus . . . . .	8
X. Sensus custodia . . . . .	9
XI. Eruditionis parandae ratio . . . . .	10
XII. Baccalaureatus in Academia Cracoviensi (1521) . . . . .	11
XIII. Peregrinatio studiorum causa suscepta (1529) . . . . .	12
XIV. Doctoratus in academia Bononiensi (1533) . . . . .	14
XV. Benedictio paterna (1534) . . . . .	15
XVI. Familiaritas principum . . . . .	16
XVII. Conversatio in aula (ab a. 1535)	17
XVIII. Civilitas mensae restituta . . . . .	19
XIX. Judaei astrologi praedictio (1538)	20
XX. Regis et reginae concertatio (1538)	22
XXI. Secretariatus regni . . . . .	23
XXII. Secretarii in cancellaria regia munus (1538) . . . . .	24
XXIII. Beneficia ecclesiastica et canonicatus Cracoviensis (1540) . . . . .	26
XXIV. Sacrae theologiae studium (1543)	27
XXV. Sacerdotium . . . . .	30
XXVI. Sacrosanctum missae sacrificium . . . . .	31
XXVII. Separationis consiliorum detestatio . . . . .	32
XXVIII. Sigismundi I de episcopatu Hosii voluntas . . . . .	33
XXIX. Nominatio ad episcopatum Culmensem (1549) . . . . .	34

	Pag.
XXX. Episcopalis oneris discussio . . . . .	36
XXXI. Constans renuendi episcopatum voluntas . . . . .	37
XXXII. Divinae vocationi datus assensus . . . . .	39
XXXIII. Somni interrupta continuatio . . . . .	40
XXXIV. Legationis ad Caesarem munus impositum (1549) . . . . .	41
XXXV. Pacta foederis cum Carolo V Caesare . . . . .	42
XXXVI. Amicitia cum Ferdinando Ro- manorum Rege stabilita . . . . .	43
XXXVII. Acta cum haereticis Torunen- sibus (1551) . . . . .	44
XXXVIII. Translatio ad ecclesiam Var- miensem (1551) . . . . .	45
XXXIX. Libelli de expresso Dei verbo scribendi occasio . . . . .	47
XL. Christianae confessionis volumen ex synodi decreto (1551—1553)	48
XLI. Cum Alberto, Prussiae duce, collatio (1552) . . . . .	49
XLII. Juventutis recte instituendae cura . . . . .	51
XLIII. Confutatio prolegomenon Brentii	52
XLIV. Trinis Pauli IV litteris Romam vocatur (1557) . . . . .	53
XLV. Adventus in Urbem et consilia Paulo IV data . . . . .	54
XLVI. Cardinalatus oblati recusatio . . . . .	56
XLVII. Nuntii apostolici a Pio IV ad Caesarem Ferdinandum munus . . . . .	57
XLVIII. Tractatio negotiorum cum Cae- sare (1560) . . . . .	58
XLIX. Colloquia cum Maximiliano Bohe- mia Rege habita . . . . .	60
L. Fauserum haereticum Vienna pelli curat . . . . .	61

LI. Rosam, pileum et gladium Cae- sari tradit . . . . .	63
LII. Absens a Pio IV Cardinalis creatur (1561) . . . . .	64
LIII. Cardinalatus altera recusatio .	65
LIV. Cardinalatum ex obedientia ac- ceptat . . . . .	67
LV. De loco continuandi concilii cum Caesare convenit . . . . .	68
LVI. Legatus ad concilium absens designatur . . . . .	69
LVII. Vienna discedit: Tridentum venit (1561) . . . . .	70
LVIII. Legatio in concilio Tridentino .	72
LIX. Ad ecclesiam suam redit a concilio (1564) . . . . .	74
LX. Rex pro illustrata patria gratias agit . . . . .	75
LXI. Brunsberga calixtinos pellit . .	77
LXII. Societatem Jesu in Poloniam introducit (1565) . . . . .	78
LXIII. Martyrii studium et in peste oratio . . . . .	80
LXIV. Ecclesiasticam iurisdictionem defendit. . . . .	81
LXV. Censuram de haereticorum cen- sura scribit (a. 1565) . . . . .	83
LXVI. Abstrahitur a sensibus . . . .	84
LXVII. Synodus dioecesana (1565) . .	86
LXVIII. Proditio Regiomonti detecta .	87
LXIX. Elbingensem ecclesiam recu- perat. . . . .	89
LXX. De Elbingensium conversione laborat (1568) . . . . .	90
LXXI. Amor subditorum: cura bonorum ecclesiae . . . . .	92

LXXII. Comitia Lublinensia et Romanum iter (1569) . . . . .	93
LXXIII. Incendium Brigense . . . . .	94
LXXIV. Coadiutorem episcopatus assumit	96
LXXV. Sueciae, Angliae, Saxoniae convertendae studium . . . . .	97
LXXVI. Sigismundi Augusti, Poloniae regis, exequiae (1572) . . . . .	99
LXXVII. Confoederationem haereticorum oppugnat (1573) . . . . .	100
LXXVIII. Fit maior Poenitentiarius (1573)	102
LXXIX. Hospitale Polonorum Romae instituit . . . . .	103
LXXX. Sublaci ad reliquias s. Cleridoniae sanatur (1576) . . . . .	105
LXXXI. Cardinalatus in Urbe tituli . . . . .	106
LXXXII. Senectus . . . . .	108
LXXXIII. Viaticum et dispositio domus . . . . .	109
LXXXIV. Transitus (5. Augusti 1579) . . . . .	111
LXXXV. Exequiae et piorum luctus . . . . .	112
LXXXVI. Epitaphium . . . . .	114
LXXXVII. Religio . . . . .	115
LXXXVIII. Charitas . . . . .	115
LXXXIX. Castitas . . . . .	116
XC. Eruditio . . . . .	116
XCI. Humilitas . . . . .	116
XCII. Prudentia . . . . .	117
XCIII. Sinceritas . . . . .	117
XCIV. Gravitas . . . . .	118
XCV. Humanitas . . . . .	118
XCVI. Hospitalitas . . . . .	118
XCVII. Beneficentia . . . . .	119
XCVIII. Exemplaritas . . . . .	119
XCIX. Virtutum meritorumque praemia . . . . .	119
C. Conclusio . . . . .	120

# I. In patriam et natalem diem.

Stanislaus Hosius in Civitate Cracoviensi, Regni Poloniae  
Metropoli, Ulrico et Anna parentibus felici sidere nascitur  
die 5. Maji, anno 1504.

O civitatum Sarmatiae decus,  
Craci Parentis filia nobilis,  
Adverte mentem! pluribus te  
Nominibus reproto beatam.

Vel quod remotis hostibus auream 5  
Dudum quietem fertilis obtines,  
Reges Poloni vel quod in te  
Conspicuam posuere sedem.

Templis et aris (ut fidei tenax  
Priscae) refulges magnificentius. 10  
Pacem frequentis civitatis  
Iustitia retines et armis.

Exculta pictis molibus aedium  
Tollis propinquum sideribus caput.  
Musis amicam mansionem 15  
Perpetuo celebranda praebes.

Plus miror et te plus veneror tamen  
Hinc, quod viri sis patria maximi,  
Quod prima nascentem recepit  
Urbs Hosium tua Cardinalem. 20

Sacri senatus praecipuum iubar,  
Sidus Poloni nominis unicum,  
Cui culmen immortale virtus  
Et pietas celebris paravit.

- 25 Quintam ergo Maji rite colas diem  
 Laetamque fastis annumeres tuis,  
 Quae lumen illud tam coruscans  
 Sarmatico generavit orbi.
- 30 Sis grata. Cessas spargere flosculos  
 Et serta templis? Urbs Hosium sonat,  
 Laudes ad illius fidelis  
 Plebs oculos animaque vertit.
- 

## II. In votum matris.

Infans ab Anna matre, religiosissima femina, Deo futurus  
 sacerdos offertur, in eum finem sacris vestibus et vasis ab  
 illa paratis.

- A**nna parens Hosii (priscis velut altera seclis,  
 Quondam fatidici quae Samuelis erat)  
 Vix utero natum ediderat, cum protinus illum  
 Divinis famulum deputat obsequiis.
- 5 Et quamvis nondum cunas excesserat infans  
 Parvaque fasciolis membra liganda daret,  
 Illa sacerdoti vestes calicemque futuro  
 Quaeque forent sacris usibus apta parat.  
 Cresce puer, Domini posthac sistendus ad aram,
- 10 Cresce puer, patriae splendor honosque tuae.
- 

## III. In pueritiam.

Lusus pueriles omittens pietati vacare, templum frequentare,  
 vitas Sanctorum lectas audire, parentes honorare, maiores  
 revereri, literisque operam diligentem navare incipit.

- H**uc aetas tenera, huc currite parvuli,  
 Mores ex Hosio discite parvulo,  
 Primis monstrat in annis  
 Virtutum puer hic vias.

Natus carne piis progenitoribus, 5  
 Divinus, didicit, quis fuerit timor.

Huius fronte serena  
 Sese supposuit iugo.

Non segni repetit templa puer pede, 10  
 Castas ore preces ingenuo ferens

De Christoque loquentes  
 Audire historias amat.

Decretam veteri lege parentibus  
 Charis exhibuit sic reverentiam,

Se ut persaepe beatos  
 Tali pignore dicerent. 15

Vixdum verba puer cooperat eloqui,  
 Balbo literulas gutture concrepat.

Cum chartisque tabellas  
 Tractat solicita manu. 20

Maiorum solitus iussa capessere  
 Languentem pepulit segnitiem procul,

Incessuque modesto  
 Se praebebat amabilem.

Morum dux Hosius sit pueris puer, 25  
 Huc aetas tenera, huc currite parvuli,

Praeceptore sub isto  
 Vitam discite candidam.

#### IV. In monasticae vitae desiderium.

Ulrico patre monasterium fratrum Praedicatorum Vilnae con-  
 struente, filius paene puer, accensus pio religiosae vitae desi-  
 derio, eam ingredi frustra conatur patre repugnante.

**D**um promovere gloriam Dei cupid  
 Ulricus Hosii pater,  
 Monasticis quod esset aptum regulis,  
 Vilnense claustrum construit.

- 5      Hic instituti Praedicatorum patres  
       Devotus heros collocat.  
 Puer tenellus id parentis optimi  
       Factum suis accommodat  
 Profectibus. Sacrum frequentat impiger  
       Coetum Deo psallentium.  
 Simplex ciborum, vestis et simplex genus  
       In hoc placebat Ordine.  
 Quid multa? Fratres ut sibi locum darent,  
       Fatigat ardenti prece.  
 15     Parens honestis filii conatibus  
       Licet faveret clanculum,  
 Sublimiora mente cogitans tamen  
       Dei monentis semina  
 Votis repugnat filii, credens fore  
       Vedit quod aetas postera,  
 Quo lumen illud altiore stans gradu  
       Luceret in domo Dei.  
 Quo non suae tantum salutis commodum,  
       Sed plurimorum quaereret.
- 

## V. In puerilem abstinentiam.

Ieiuniis valde addictum eum videret filium pater, timens  
 eius imbecillitati, confessarium inducit, ut ei pro poenitentia  
 sumendam refectionem praeciperet.

- I**eiuniorum quo tenacem se magis  
       Monstrabat Hosius puer,  
 Hoc plus paternum pectus anxiō metu  
       Languebat, ut ne filius  
 5      Hinc advocaret grandius periculum  
       Suo tenello corpori.  
 Sic perficit tandem, ut sacerdos audiens  
       Confessionem filii

Soleret illi poenitentiae loco  
 Stricte imperans iniungere, 10  
 Ne longiusculam per abstinentiam  
 Corpusculum prosterneret,  
 Sed hoc vel illud sumeret cibi genus,  
 Vires quod illi subderet.  
 Sic esca, multi quam voluptatem putant, 15  
 Est poena facta parvulo.

---

## VI. In profectum in literis.

Nonum aetatis annum cum attigisset, eos in literis profectus fecit, ut praceptorum, quo a primis pueritiae annis usus est, longo post se intervallo reliquerit: qui parenti id ipsum indicans sibi licentiam, filio doctorem magistrum dari postulat.

**M**ens in corpore sobrio  
 Regnans haud sterili torpet in otio,  
 Sed distenta laboribus  
 Solers ipsa sibi praesidium parat.  
 Sic escis puer abstinens 5  
 Totum se studiis applicuit bonis,  
 Noctes pervigil et dies  
 Scribens atque legens tempora conterit.  
 Aequales superat suos,  
 Quantum luna solet vincere sidera, 10  
 Lunam sol velut aureus  
 Praecedit radiis splendidioribus.  
 Sed non tantus erat labor,  
 Si cessere pares ingenio sibi.  
 Praeceptor pueri patrem 15  
 Iam grandaevus adit voceque libera  
 Victum se quoque nuntiat,  
 Nec se scire quod hic non teneat puer

16

Profert ingenuus senex,  
 Doctorem utque alium provideat monet;  
 Collaudat genitor Deum,  
 Quod tantis puerum dotibus auxerit.

---

## VII. In haereseon detestationem.

Hosio duodecimum aetatis annum agente Martinus Lutherus, impurus haeresiarcha in Germania, suae perfidiae virus spargere coepit. Cuius nefandum dogma cum pius Hosii animus ferre non posset, scriptis contra eum carminibus Ecclesiae catholicae veritatem illa tum aetate defendere aggressus est.

**P**rovidam aeterni Patris actionem,  
 Qua regit totum sapienter orbem,  
 Cogitans illi meritas studeto  
 Reddere grates.

5

Impius vixdum tenebris sepultas  
 Haereses ausus fuerat Lutherus  
 Spargere in vulgus, Deus en magistrum  
 Destinat orbi.

10

Namque bis senos peragentis annos  
 Pectus inflammans Hosii pudicum  
 Mandat in sacri calamum movere  
 Numinis hostem.

15

Qui pium Christi retinens amorem,  
 Tradidit quo se furiis Lutherus,  
 Coepit hoc ipso generosus anno  
 Bella parare.

Bella in errorum fidei magistros  
 Inque Martinum male sentientem,  
 Cujus insanum lerido tumorem  
 Carmine pressit.

Utque cum bis sex numeraret annos  
 Christus, ostendit speciem futuri  
 Dogmatis, sacra residens in aede  
 Multa rogando:

Sic et aetate hic similandus illi, 25  
 Quantus assertor fidei futurus  
 Esset, in primo documenta liquit  
 Flore iuventae.

Prodit errorum sceleratus auctor  
 Teutho fax Orbis; Deus en Poloni 30  
 Corda vicini parat, in superbū  
 Qui ruat hostem.

Dic Deo grates sapientiamque  
 Lector extollas Domini, medelam  
 Qui suam morbis, velut hora poscit, 35  
 Providus adfert.

### VIII. In adolescentiam Hosii.

Adolescentiam summa integritate Hosius transigit.

**A**thleta quinam prodiit hue novus?  
 Tollens in altum lumina, brachiis  
 Nudatus ignem extinguit, angues  
 Calcat, aquas retinet crucemque.

Pictura profert haec Hosium tibi, 5  
 Primae genarum quando calent rosae!  
 In sempiternum castitatis  
 Bella tulit generosus hostem.

Terrena spernens ante oculos Deum  
 Semper ferebat. Scilicet hunc ducem 10  
 Vitae sequutus displiceret,  
 Quicquid ei fugiebat ultro.

15      Segni recedens totus ab otio  
           Rebus gerendis applicuit manus,  
           Non surdus auditor bonorum  
           Quae didicit facienda fecit.

20      Amans laborum suave crucis iugum  
           Gaudens in ipso corpore pertulit.  
           Christique nixus passioni  
           Mortiferas superavit hydras.

Clava voluptatum illecebras novus  
           Hic noster Alcides valida manu  
           Perfregit, hac et tortuosi  
           Daemonis insidias peremit.

25      Crudelitatis dum genus utile  
           Sectatur, esca saepius abstinenſ  
           Extinxit ardoreſ iuventae  
           Labilibus pepulitque membris.

30      Felix es Hos, qui iuvenilibus  
           Annis per ignes integer ambulas,  
           Quem nulla conspurcavit unquam  
           Luxuries, genitrix malorum.

## IX. In contemptum illecebrarum.

**A** mundi illecebris, quibus iuvenes implicari facile consueverunt, adeo abhorrebat Hosius, ut ne ad honestam alioquin inter propinquos chorearum recreationem unquam pertrahí potuerit, et sorori id semel tentanti sese subtraxit, ad studia solita subito reversus.

**D**um iuvenis libros Hosius pertractat amicos,  
           Atque studet Latiis reddere Graeca modis:  
           Ecce pudica soror, fratriſ miserata labores,  
           Hunc vocat ad blandos patre iubente choros.

Abnuit ille, sed ut chari mandata parentis      5  
 Impleret, victam praebet utique manum,  
 Dumque choris passu non respondentē pererrat,  
 Contigit oppositas ante venire fores:  
 Exilit e manibus genitore vidente sororis,  
 Praecipiti sibi mox consuluitque fuga.      10  
 Principium invitus dederat, sed sponte choreis  
 Finem uno voluit constituisse die.

---

## X. In sensuum custodiam.

In sensibus custodiendis adolescens Hosius eam diligentiam adhibuit, ut domo egressus faciem manica vestis obtegere solitus fuerit, aliis exemplum pudicitiae, sibi securitatem conscientiae comparans.

**V**is scire vultum cur iuvenis tegat  
 Noster? Malorum semina vidimus  
 Vultus decori claritatem  
 Pluribus exhibuisse quondam.

Latere noster dum videt Hosius      5  
 Hostem sub ipsa carne domesticum,  
 Constans amator castitatis,  
 Hanc tenuit sapienter artem.

Si quando formosus iuvenis pedem  
 Proferre patris visus erat domo,      10  
 Cogente causa, laxiore  
 Mox faciem manica tegebat.

Custos fidelis limina sensuum  
 Casti pudoris vectibus obstruit,  
 Nil turpe spectans audiensve      15  
 Cor studuit retinere mundum.

Per civitatis compita rario  
 Est ire visus, scilicet haec duo  
 Tantum frequentans, quae referrent  
 20 Templa sibi docilesque Musas.

Quid plura vecors ambitio petis?  
 Possint duo cum reddere nobilem,  
 Christum requiras literasque  
 Continues, et eris beatus.

---

## XI. In parandam eruditionem.

In literarum studiis cum fructu percipiendis eam rationem  
 secutus est Hosius, ut gratiam Dei primum studeret prome-  
 reri, vitam a strepitu inutilium occupationum alienam dicens,  
 quietem sectaretur, a praceptoribus quae percipere vellet  
 frequenter percunctaretur, percepta repetitione assidua reti-  
 nere contuleret, et haec omnia faciens humillime de se  
 ipso et sentiret et loqueretur.

**Q**ui doctior vult et sapientior  
 Esse, hanc sequatur, quam tenuit viam  
 Princeps iuventutis regendae  
 Saepe mihi memorandus odis.

5 Huic, ut decebat, cura fuit prior  
 Dei potentis quaerere gratiam,  
 Quo fonte derivata manat  
 Ingenii saliens scatebra.

10 Amor quietis propulit otium  
 Docto cubili, trusit inutiles  
 Curas: columbae instar silentis  
 Grana libris adoperta quaerit.

15 Peritiores consulit, utile  
 Scientiarum percipiens lucrum,  
 Perplexitates quaestionum  
 Iudicio trutinat sagaci.

Percepta dum vult mente fideliter  
 Tenere, iam iam doctior in dies  
 Commilitones inter ipsos  
 Illa eadem repetendo spargit.

20

De se tamen nil magnificum, nihil  
 Praesumit amplum, sed sapientiae  
 Basim profundam construendo,  
 Vult humilis sociis videri.

## XII. In Baccalaureatum.

### Ad Academiam Cracoviensem.

Adolescens humaniora studia logices praesertim et dialectices ita prosecutus est, ut supra aetatem baccalaurei titulo in Academia Cracoviensi publice donatus fuerit, qui honoris gradus, sicut illum ad graviora studia diligentius perscrutanda vehementer inflammavit, ita ad multo sublimiora dignitatum ornamenta, quae postea consecutus est, felix initium posuit.

**T**er felix Academia,  
 Si tu sceptrta prius non gereres duo,  
 Posset sumere tertium.  
 Rex unum tribuit, docta aliud dedit  
 Pallas, tu reliquum a tuo  
 Deposcas Hosio. Purpura quem sacris  
 Insignivit honoribus,

5

Inter Romuleos annumerans patres.  
 Huius tu iuvenis comam  
 Baeca condecoras frondeque laurea,  
 Exactisque laboribus  
 Pulchrae rhetorices et dialectices  
 Reddis debita praemia,  
 Virtutem stimulis exagitans suis.

10

- 15      Gratus, ne dubites, puer  
         Reddet cum duplice foenore, quae tulit  
     Ornamenta tibi. Vides  
         Ut cursu celeri fertur ad ardua  
     Verae culmina gloriae?  
 20      Iam iam tempus erit, quando beaberis  
     Tali discipulo, tuae  
         Cum laudes ferient vertice sidera,  
     Quod tu prima revinxeris  
         Ornantis patriam mite Hosii caput.  
 25      Si vivent mea carmina,  
         Vives temporibus tu quoque posteris,  
     Ter felix Academia  
         Vives, Sarmatiae lux celeberrima.
- 

### XIII. In peregrinationes Hosii.

#### Ad Petrum Myscovium Episcopum     Cracoviensem.

Petro Tomicio episcopo Cracoviensi auctore ad capessenda  
     graviora studia in Italiam proficiscitur et Patavii Lazaro  
     Bonamico praceptor, viro doctissimo, familiariter usus non  
     vulgares eruditionis thesauros sibi comparavit.

- 5      **P**ulchras quisquis amat discere literas  
     Excedat patria. Proficiet brevi  
     Annorum spatio. Fiet amor brevi  
     Doctorum. Fugiet providus otium.  
     Fecere hoc alii. Pythagoras adit  
     Aegyptum, ingenii dvitias parans.  
     Fecit sic Hosius: consilio Petri  
     Sano Tomicii fultus episcopi  
     Florentem studiis Italiam petit,  
     Urbem Antenoream deligit. Utitur  
     Insignis Bonamici indole Lazari.

Discendi patiens in penetralia	
Musarum irruit et quidquid habet ferax	
Doctrinae Latium pulchraque Graecia	
Non segni studio percipit Hosius.	15
Stulti quae iuvenes turpiter ambient,	
Quae vitam minuunt et patrimonia:	
Bimos, scorta, iocos, symbola, coenulas	
Vitabat sapiens, at similes sibi	
Virtutum socios iungere maluit,	20
Per quos et melior posset et in dies	
Reddi doctior. Hunc scilicet hunc, moras	
Ducturus Patavi proposuit scopum.	
Polum percoluit, cardinei decus	
Immortale chori, tunc iuvenem bonis	25
Immersum studiis, teque polonicae	
Myscovi columen gentis et optimum	
Regni pontificem, coeptaque tunc semel	
Inter vos viguit mens bona, mens amans,	
Dotes ille tuas, eloquium grave:	30
Praestans iudicium ac ingenium elegans,	
Vitae munditiem, pectus et artibus	
Excultum ingenuis iure adamaverat.	
Quid tu? Visus eras reddere par pari	35
Complectens Hosium suaviter, ut patrem	
Vincens officiis tempus in ultimum.	
Felix qui meruit sic ab amabili	
Laudatoque viro totus amarier;	
Felix non minus es tu quoque, maxime	
Myscovi, quod ad hos quos merito geris	40
Accedet titulos: Hic fuit Hosii	
Dilectus socius. Vidimus hoc. Sciat	
Longaevos numerans posteritas dies.	

**XIV. In Doctoratum Iuris Utriusque.**  
**Ad Gabrielem Paleottum Cardinalem,**  
**Archiepiscopum Bononiensem.**

Lazaro Bonamico praeceptore Patavino Bononiam evocato  
 secutus est eum Hosius, ibique cum in iure civili et canonico  
 progressus non vulgares fecisset, doctoratus gradum suscepit  
 et principum amicitias sibi conciliavit.

**T**elsinae clarum Paleotte sidus  
 Urbis, insignem meritis patronum  
 Quamlibet parvis modulis canenti  
 Dexter adesto.

5      Literis vestram Bonamicus urbem  
       Lazarus ditans Hosiū sequentem  
       Se loco fratris coluit bonisque  
       Dotibus auxit.

10     Ille (ceu praedam leo conspicatus  
       Ardet et visam properat tenere)  
       Temporis parcus speciosa quaerit  
       Pabula menti.

15     Nulla anhelantem studiis retardat  
       Hora, quin doctos adeat magistros,  
       Nunc Amasaeum, modo Lazarum spe  
       Proficiendi.

20     Dum manu libros utriusque iuris  
       Saepe nocturna terit ac diurna,  
       Doctor est legum merito creatus  
       Re tituloque.

Sic comes virtutis honos amicas  
 Principum mentes Hosio paravit,  
 Literis qui forte Bononiae tunc  
 Invigilabant.

Hugo dilexit tenere, beati Qui Petri clavum sapiens gubernat, Pontifex et Gregorii reducit Nomen et acta.	25
Truchsius, Madrucius et nepotes Tertii Pauli duo, purpurae quos Postmodum velavit honos in orbis Principe Roma.	30
Cognitum scriptis prius, inde vultu, Tu quoque, Antistes venerande, dignum Iudicasti, quem bonitatis ergo Totus amares.	35
Sic pares gaudent paribus, bonique Diligunt ipsis similes; amant post Fata. Sicut nunc Hosium superstes Tu veneraris.	40

---

## XV. In familiaritatem principum.

Reversus ex Italia Hosius ab episcopo Cracoviensi Tomicio,  
qui pietatis et eruditionis eius magna ducebatur admiratione,  
in familiarem adsciscitur.

V	itae candida puritas In vultuque nitens pulchra modestia, Mentis certa fides bonae Doctrinae, tenebras discutiens iubar Se fulgore suo palam Demonstrat, latebris impatiens tegi, Mirantumque animos movet Et se materiam praebet amantibus. Sic virtus Hosii recens Advecta in patriam splendidioribus	5 10
---	--	---------

- 15 Effulsit radiis, Petri  
     Perstringens oculos prima Tomicii.  
     Doctorem subito novum  
         Princeps optimus ad se vocat, in suas  
         Aedes protinus accipit,  
 20     Acceptum meritis auget honoribus.  
     Praebet consiliis locum,  
         Grandaevus iuveni paret in omnibus.  
     Hoc praestans bonitas facit,  
         Subdi non renuens inferioribus.
- 

## XVI. In benedictionem paternam.

Ad Ioannem Hosium, Capitaneum Gut-  
     statensem, Cardinalis fratrem.

Vilnam profectus patrem visitat et quodam tempore famulis  
     abeuntibus eorum vices obire non dignatus, a patre, qui  
         Deum humilitatem hanc eius exaltaturum promittit, bene-  
         dictionem reportat.

- T**e venerande senex, ipso quoque fratre Cardinali  
     Beatiorem praedicare possem,  
     Quod vacuus curis gravioribus in Dei timore,  
         Bonis amicis non egens, fideli  
 5 Coniuge ditatus bene, ter geminaque prole felix  
         Non marcidam, recte valens, senectam  
     Nec libris citharaque carentem, patrios penates  
         Nunquam relinquens protrahis decenter:  
     Publica ni maius meritum bona congregata charo  
 10 Fratri parassent orbis in theatro.  
     Scilicet in vobis geminae Deus arbiter duobus  
         Ostendit exemplum beatitatis.  
     Ut foris ille, domi tu cognitus, optimum daretis  
         Spectaculum vitae utriusque multis,

Ambo annis, pietate graves. Benedictionis  
hunc vos

15

Fructum paternae maximum tulistis.

Promptus uterque patri dum servit in omnibus.  
Reversus

Videre patrem gestiens ab aula,  
Frater forte tuus famulis abeuntibus, resumit  
Occasionem, qua patri ministret.  
Munia Doctor obit servi. Pater hanc videndo nati  
Subiectionem fausta comprecatur  
Omnia sublimesque gradus sibi pollicetur, atque  
Productiores ominatur annos.

Dictaque res sequitur. Conspeximus illa. Te  
videmus

20

Superstitem et longum detur videre.

25

## XVII. In conversationem aulicam.

In aula principum eam rationem tenuit Hosius, ut et a vitiis,  
quibus aulici plerumque sunt affines, remotissimus esset et  
invidia superior benevolentiam sociorum, dominorum gratiam  
sibi concillaverit.

**A**udax velivola, qui pelagus rate  
Vel motis tumidum fluctibus ingredi,  
Vel frenare leones  
Vitae osor propriae cupid!

Sic qui se Oceanum mittit in aulicum,  
Qui tentat rabiem vincere curiae,  
Non prudentior illis  
Ambit naufragium sciens.

5

Hic aut in scopulos luxuria vel in  
Irae sanguinolenta Acroceraunia  
Livorisve profundum  
Impinget temerarius.

10

Heu non effugiet saxa superbiae  
 Poscentisque gulae cuncta voraginem,  
 15 Non undas levitatis,  
 Non cautes simulantium.

Horrebit furias imperitantium,  
 Spectabit pavitans ora calumniae,  
 25 Ungues ambitionis,  
 Fraudum mille pericula.

Vives absque mari tutior aulico,  
 Contentus modicis. Si tamen huc malus  
 Error detulerit te, aut  
 Importuna necessitas:

30 Cautus dispice, quo remige, vel rate,  
 Quo vento in freta, quo sidere proruas,  
 Portus quisve petendus  
 Pertaeso maris et viae.

Noster sic Hosius. Aedificat sibi  
 35 Virtutum validis e trabibus ratem,  
 Quam clauso integratatis  
 Et famae solidat bonae.

In prorae excubiis stat patientia,  
 Quae fluctus tolerat fortiter aulicos,  
 40 Agnum induit quietis  
 Optatae genium colit.

Nulli noxia vis, proficia omnibus  
 Puppim fida regit, praeterit ardui  
 Temoris moderatrix  
 45 Insani scopulos maris.

Auræ proveniunt aetheria domo  
 Lenes et facili navigio ferunt  
 Mentem compositam, quae  
 Rectorem sequitur Deum.

Frustra suscipitur quisquis erit labor  
 Vestigans et honestum et simul utile,  
 Coelestem nisi quaerat  
 Recti conscientia mens opem.

Placato melius sidere scanditur  
 Aequor. Propositum sic tenuit ratis  
 Hosi sedula portum  
 Magnatum utpote gratiam.

Charus principibus commodioribus  
 Vitae praesidiis utitur: et sibi  
 Venturos ad honores  
 Disponit probitas viam.

Nulli fac noceas, sis patiens, cole  
 Pura mente Deum, laetus herilia  
 Mandata efficio: istud  
 Sospes traiicies mare.

### XVIII. In civilitatem restitutam.

Episcopi Cracoviensis Choinii mensae exhibitus, cum sales inurbanos et ecclesiastici praelati convictu minus dignos agitari vidisset, Hosius impudentiam scurrasum liberrime reprimit et apud episcopum, ut non modo a mensa, sed ab aula sua illos amoveret, oratione perfecit.

**Q**uo laus rarer est, hoc nitide magis  
 Splendens emicat in principibus viris,  
 Aurés qui patulas esse volunt bonis,  
 Clausas esse volunt malis.

Assentator opem blanditiis parans,  
 Lenis pernicies insipientium,  
 Sinceri tibi nil dicet: in abditos  
 Errorum laqueos trahens.

Contra cultor honesti intrepidus nequit  
 10 Velamen vitiis pandere, commodi  
 Contemptor proprii, turpia si videt,  
 Non fert imperiosior.

Mensae Choinii praesulis assidens  
 Felix innocuis Hosius auribus  
 15 Scurras colloquiis turpibus audiit  
 Mentes inficere hospitum.

Longum non tulit haec ingenuus pudor,  
 Sed mox, officium quod sit episcopi,  
 Dum corpus dapibus pascitur, admonet,  
 20 Pascendam esse animam quoque.

Vel sacrae variis historiae libris,  
 Vel certaminibus commorientium  
 Christo Martyrum et his colloquiis, quibus  
 Nutriri pietas solet.

Turpes eiicies, dixit, abhinc iocos  
 25 Vel me; Pontificum dedecorant dapes  
 Infames parasiti, ocios impudens  
 Hinc te principe vanitas.

Immunis scelerum respuit improbos  
 30 Profligatque pius vim petulantium.  
 Princeps officio fungitur, effugat  
 Aulae spurcitiem procul.

## XIX. In iudaicam praedictionem.

Astrologus quidam Hebraeus admonet episcopum Cracoviensem  
 Choinium, ut prae caeteris Hosium amet et foveat. Se enim  
 ex astrorum observatione cognovisse futurum, ut omnes  
 Regni Poloniae antistites supereret, quod illo ad Cardinalatus  
 dignitatem evecto vidimus evenisse.

**F**ortunam sua cuique solet componere virtus.  
 Haec meritis decernit honores,

- Auget divitiis animi quos dotibus auxit  
Ipsaque se sustollit in altum,  
Permittente Deo, rectis qui mentibus adstat 5  
Praesens muneribusque coronat.  
Pars hominum tamen, ut nimis ambitiosa futuri,  
Vitae omen deposit ab astris.  
Decipitur laetis male credula, tristibus (absint  
Illa licet) dolet, angitur, ardet. 10  
Improbat haec Hosius morum probitate benignae  
Sortis opes sibi fingere doctus,  
Improbat ille, sed Hebraeus Babylonica tractans  
Et studia et numeros novitate  
Mentes implevit, veniens ante ora Cracorum 15  
Pontificis, mox talia fatur:  
Quem tibi nunc adstare vides (Hosium innuit)  
omani  
Dignum laude fovere memento  
Suaviter officiis. Tibi erit fidenter amandus,  
Cui reteges penetralia cordis 20  
Astra monent. Illi felicia tempora nectunt  
Et vestrae descendet ab illo  
Gentis honos magnus populisque coletur ab  
illis,  
Qui Tyberina bibunt vada posthac,  
Vestrorumque gradus multum superabit ho-  
norum 25  
Longaevosque lucrabitur annos.  
Dixerat infidus non falso carmine vates.  
Res non vana fuisse probavit.  
Astrologus cum vera refert, mirum: magis  
illud  
Miruin, cum Iudaeus ad artes 30  
Fallendi natus, longe mendacior ipsis  
Cretibus. Experiare, videbis.

## XX. In concertationem Regis et Reginae de Hosio.

Mortuo episcopo Cracoviensi Choinio Bona Sfortia, Poloniae Regina, Hosium in familiam pertrahere frustra contendit. Nam Rex Sigismundus primus, eius maritus, illum tanquam Regni rationibus utilem sibi assumit.

**C**larius ecce fulget  
Hosii candor, feriens aurea tecta regum.  
Livide quid stupescis?  
Literis accrescit honos debita, consequuntur

5 Praemia doctiores.

Cesserat fatis Hosii forte patronus, illum,  
Sanguine Sfortiorum  
Prodiens Regina vocat. Pollicitis fatigat,  
Ut sibi serviat, vult.

10 Rex Sigismundus penetransista, Bonae maritus,  
Pertrahere in suarum

Partium nassam properat nil minus ambientem.  
Digladiantur ergo  
Coniuges nunquam soliti, praensat uterque  
multis

15 Dotibus affluentem.

Cogitur pars debilior cedere fortiori.  
Rex Hosium favore  
Prosequens digno numerum suscipit in suorum.  
Provocat ad labores

20 Laetius propter patriae commoda preferendos.

---

## XXI. In Secretarium.

Ad Stanislaum Hosium de Besdan Car-  
dinalis nepotem et Regni Poloniae  
Secretarium.

Sigismundus primus, Rex Poloniae, Hosium Regni secreta-  
rium frequenti senatu creat: quo in munere quemadmodum  
se gesserit, recensetur. Utque nepos patrui vestigiis inhae-  
rens ad Rempublicam accedat admonetur.

**H**osi parentis proxima spes boni,  
Magni nepotum maxime patrui,  
Non corporis, sed mentis alta  
Commemorande mihi statura!

Mirare nascentes patrui gradus,  
Vestigio tu quos etiam teris,  
Non vana secretarii dum  
Nomina cum titulis gerebat.

Sublimioris consilii patrum  
Testis creator. Regis ad optimi  
Nutum paratus publicarum  
Tractat amans monimenta rerum.

Solers senatorum excipere auribus  
Sententias multum sibi comparat  
Ad res gerendas firmioris  
Praesidii experientiaeque.

Non promus arcani procerum graves  
Praensat susurros, commeat huc et huc  
Circumque sellas optimatum,  
Quid patriam iuvet, aut quid illi

Nocere possit, despicit integer.  
Rogatus offert (septa modestiae  
Non deserendo) quidquid illi  
Dictat amor patriaeque cura.

5

10

15

20

- 25 Patres monentem recta fovent amant.  
Addunt amicis interioribus.  
Respondeat expectationi,  
Quo magis est operata virtus.
- 30 Magnum probari principibus viris,  
Maius labores pro patriae bono  
Perferre. Primum possides, en  
Te patruus vocat ad secundum.
- 35 Lates honesto iam sat in otio,  
Vivens amicis et tibi. Publicum  
Descende felix in theatrum,  
Sic patruo similandus, Hosi.
- 35 Deprome venas divitis ingenii  
Linguaeque thesauros Latiae abditos,  
Prudens acumen literasque  
Ne patriae eripias egenti.

## XXII. In Secretariatum in Cancellaria Regia.

Ad Ioannem Gałczynum, Secretarium Regium et Cancellariae Regentem.

In Cancellaria Regia cum secretarii munus obiret, ad iudicii acumen integritatem, corruptelarum pecuniaeque contemptum styli puritatem, vigilantiam, expediendarum literarum celeritatem semper adhibuit, quibus artibus magnam sibi doctrinae probitatisque laudem apud omnes comparavit.

**D**ilecte mihi candidius, prime sodalium  
Ter denas hyemes cognite, nunc dum gravioribus  
Curis implicitus pervigilas iussaque regia  
Consignas tabulis, Sauromates aut Litavus quibus

Non torvus regitur, te mihi ne subtrahe pau-  
lulum, 5

Galcini, atque simul despice, quid gesserit Hosius,  
Hoc ipso positus, quem retines tu quoque nunc,  
loco.

Rerum usu vario praeditus, ut munus ad id fuit  
Regis iudicio assumptus, in hoc incubuit sagax,  
Ne quid vel faceret, vel calamo promeret e suo, 10

Leges subrueret quod patrias, ordinis aut sacri  
Libertatis opes destrueret. Nil, nisi quod bonum,  
Quod rectum ad trutinam iustitiae sustulerat prius,

Admittens. Abigit lucra procul turpia munera

Laxati loculos difficiles atque cupidinis, 15

Donari xeniis non renuens simplicioribus

Et mandi solitis. Id socii ferre molestius

Sunt visi, quod eos aurea [iam], mos ut erat, seges

Pingues non faceret de spoliis esurientium.

Se macrescere sub non avido praeside clamitant 20

Frustra. Crescit honos hinc Hosio crebrior in dies.

Sermonis Latii moribus haud dissimilem stylum

Possedit: facilem, legitimum, conspicuis gravem

Rerum poderibus, sensa animi promere idoneum

Splendorique sui principis atque officio parem. 25

Nexu perpetuo sobrietati vigilantiam

Coniunctam studiose coluit semper et omnibus?

Curis apposuit. Temporis haud prodigus aulicis

Raro colloquiis intererat: suetus epistolas

Succinctis citius compositas tradere nuntiis, 30

Urgeri impatiens admonitu solicitantium,

Frontis laetitiae saepe breves defricuit moras.

Laudari meruit, gratior hinc, vocibus omnium.

## XXIII. In Canonicatum Cracoviensem.

### Ad Erasmus Dembinium Decanum Cracoviensem.

Nec petenti nec ambienti plura beneficia ecclesiastica sunt oblata. Factus ad extreimum Canonicus Cracoviensis insigne exemplum Deo ecclesiaeque serviendi reliquit. Fuit enim assiduus in ecclesia. Desiderio augendi cultus divini maxime flagrabat. Clerum dilexit, bonorum ecclesiae curam diligentem habuit. Eleemosynam pauperibus liberaliter erogabat.

**H**osius petens nihil  
 Vocatur ad maiora dignitatum  
 Culmina et Canonicus  
 Cracoviensi factus est in arce,  
 5 Ter beata Martyris  
 Ubi ossa [sancti] Stanislai quiescunt  
 Et vetusta principum  
 Poloniae trophyae regiaeque  
 Splendor est potentiae.  
 10 Memor suae vocationis horis  
 Interest canentium  
 Deo sacerdotum omuibus, nec ullis  
 Occupationibus  
 Sacra potest ab aede dimoveri.  
 15 Latius Dei cupit  
 Fidelis auctam gloriam minister.  
 Ipse caeteris praeit  
 Et urget exemplo haud foris petito,  
 Templa visitaus prior  
 20 Foresque claudens ultimus precantum.  
 Prosequutus est pio  
 Amore clerum sobriisque mensis  
 Saepe liberaliter  
 Pavit sacerdotes egentiores.  
 25 Censum atque praedii  
 Opumque curam ecclesiasticarum

- Gessit optimam, sciens  
 Id esse pauperum, quibus benigna  
 Quod sat est manu dabat,  
 Eos poli vocando ianitores. 30
- Sancta prodigalitas  
 Pecunia coelum sibi recludit.
- Maximum Chori decus  
 Erasme vestri, protulisse tantis
- Laudibus virum par est, 35  
 Sequi probatum laus: quod ipse nomen  
 Obtinens bonum studies,  
 Amatus Hosio seni mihique,  
 Tusculana dum simul  
 Vireta lustras Romulique colles. 40
- 

## XXIV. In sacram Theologiam.

### Ad Stanislaum Socolovium Theologum et Canonicum Cracoviensem.

Et ecclesiasticis functionibus et principum obsequiis addictus  
 ad sacrarum literarum studium se convertit Hosius, in iis  
 veram quietem constituens. Quamobrem vera humilitate  
 orationumque praesidio munitus lectioni &criptionique theo-  
 logicae incubuit, illuminatione divina mentis puritati feliciter  
 occurrente.

**S**aeculi magnos strepitus fugacis,  
 Curiae pravos dominantis aestus  
 Atque stagnantes patienter usque  
 Ferre tumultus

Arduum dices opus. Inter ista 5  
 Literis pectus decorare sacris  
 Velle, monstrosum: magis hinc et actas  
 Nostra triumphet.

10 Hosium nobis dedit. Hic utrumque  
 Praestitit vitae integer. Est receptus  
 Tullius tantum, fit in exedra aulae  
 Ambrosio par.

15 Temporis quiequid potuit lucrari,  
 Singulis horas adimens diebus  
 Antelucanas, sopor aulicos dum  
 Detinet altus,

20 Aut ubi longis epulæ senescunt  
 Principum mensis, Bromiusque plenos  
 Humidus siccatur caliees meroque  
 Rixa tumescit,

Ille semoto latitans cubili,  
 Sit licet solus, tamen esse non vult  
 Solus. Admittit tacitus sodales  
 Interiores:

25 Vel sacratarum meditationum,  
 Vel precum dulces lacrymas piarum,  
 Quae Deum flectant studiisque robur  
 Acre ministrent.

30 Abnuunt sacrae monimenta legis  
 Turgidis tangi manibus; legentis  
 Spiritum poscunt humilem, superhe  
 Non sapientem.

35 Scripta priscorum terit usque patrum,  
 Concipit verae pietatis ignes,  
 Nutrit accensos, imitationis  
 Simplicitate

Purus, effingit calamo quod aptum  
 Moribus recte videt instruendis.  
 Dat sacerdoti quod ad audientum  
 Perferat aures.

Charitas fervens bona proximorum  
 Curat; invicti patiens laboris  
 Otium pellit meritique finem  
 Terminat astris.

Non sibi tantum utilis esse quaerens      45  
 Coelitus maiora capit iuvandis  
 Dona quae profert animabus, aequa  
 Dives in omnes.

Pura quid non mens facit? Ipsa simplex  
 Lumen e coelo trahit, hinc acumen      50  
 Perspicax haurit facilique captu  
 Prensat ideas.

Duplici occurrens radio: profectus  
 Scilicet desiderio ac salutis,  
 Gratiae lucem recipit supernis      55  
 Sedibus ortam.

Cernit illustrata magis, pedem quo  
 Dirigat, mundi per opaca: metas  
 Hoc modo solers Hosius stupendas  
 Attigit orbi.      60

Quamlibet paucis tibi, Socolovi  
 Docte, sat notas, ubi pestilentes  
 Haereses scriptis Hosio probatis  
 Conficis. Audax

Ire contra perfidiae ministros      65  
 Theutonum, virus stabilire frustra  
 Qui suum tentant levitate Graium  
 Schismaticorum.

Sive ubi sponsae documenta Christi  
 Certa pertractas morientis atque      70  
 Sceptra Iosephi, vel opima castae  
 Dona Mariae.

## XXV. In Sacerdotium.

**Ad Hieronymum Povodovium Archipresbyterum et Canonicum Cracoviensem.**

Ex literarum sacrarum studio hanc maximam utilitatem consequutus est Hosius, quod Deum totis viribus amare illique servire firmiter proposuit. Quamobrem ad maiores ordines se promoveri fecit et sacerdos consecratus est summa bonorum omnium laetitia.

**A**nimarum, Povodovi, bone custos,  
Quibus offers alimentum pietatis,  
Neque vita, neque scriptis, neque lingua reprobandus.

- 5      Tibi par est Hosii presbyteratum  
Dare, qui presbyter es factus ab illo.  
Potiorem tulit hic e studiis utilitatem,  
Quia Christum sibi cognovit amandum,  
Statuit cui generose famulari.  
Neque concendere differt graduum terna  
sacrorum
- 10     Loca, verae fidei luce coruscans  
Et honestam retinens integritatem,  
Bene versatus in omni studiorum ratione,  
Sita sub qua populorum salus esset.  
Onus amplum subit, e presbyterorum  
15     Numero fit. Sacer ordo sociorum recreatus  
Duce tali sibi spondet meliora  
Vel in aris vel in ipsis fore templis  
Animarum lucra, magnam vitiorum fore  
stragem.

## XXVI. In sacrosanctum missae sacrificium.

### Ad Clerum regni Poloniae.

Sacerdos factus primum missae sacrificium Cracoviae in ecclesia sancti Stanislai supra rupellam Deo reddidit, comites adhibet in tanto mysterio peragendo: desiderium iuvandi ecclesiam, praeparationem diligentem, ieunium, confessionem puram, devotionem, intentionem rectam, reverentiam, memoriam passionis Christi et gratiarum actionem.

**H**aec quicunque leges nostra de gente sacerdos (Omnibus id notum licet esse, quod instruit omnes Par est) cum videoas exempla domestica, fervens Illa sequi properes. Hosio te crede magistro. Ille sacerdotis postquam venerabile nomen Suscepit, sine re titulos ne ferret inanes, Reddere prima Deo statuit libamina. Templum Presbytero comitatus adit non amplius uno, Rupe quod exigua positum vestigia caedis Stanislae tuae Craci prope moenia servat. Hic varias mundi curas post terga relinquens Non altaribus admisceat convivia sacriss, Non lituis populum, xeniis non cogit amicos, Sed sponsam Christi sibi toto corde iuvandam Proponit celebrando suae mysteria mortis, Sic prodesse volens vivis et morte gravatis. Aggressurus opus, quo non praestantius ullum Maximus orbis habet, mente ad sublimia fertur, Ipse humilis corpus macerat, ieunia longa Perfert, coelestes cupiens attingere mensas. Abstergit maculas animae, mortalibus aegris Quas natura recens aut consuetudo ministrat, Ante sacerdotis promit defletque tribunal Et celerem veniam fassus delicta reportat. Iam vero assistens aris vicinaque cernens Numina componit mentem, devota sovere

5

10

15

20

25

- Pectora nititur et Christi efficientia corpus  
 Profert verba et coelica liba intentus adorat.  
 Angelicum vultu veneratur supplice panem,  
 30 Gratus homo. Christi recolens persingula mortem,  
 Qua genus humanum tetri de faucibus Orci  
 Eripiens laetus sublimibus intulit astris.  
 Exoluit meritis grates pro talibus amplas  
 Collaudansque Deum plenus spe altaria linquit.  
 35 Accipite haec animis, quibus in terrestribus oris  
 Esse Deos Deus ipse dedit, cor quale manusque  
 Oraque vos deceat, dum sacra geruntur, habere.  
 Cordis munditiem confessio pura docebit,  
 Magna locuturum os mysteria purius esse,  
 40 Quando recens oritur, vel lumine solis oportet.  
 Innocuas sine labe manus, quae coelica tractant  
 Munera, quae natura stupet quaeque orbis adorat.  
 Vos mediatores inter populumque Deumque  
 Officium fecit, nullus fastigia vestri  
 50 Ordinis exaequabit apex. Date viscera Christo  
 Tota duci. Domino fidos decet esse ministros.  
 Cum verbis concordet opus, tumor absit inanis.  
 Vita pudica bonos de vobis spargat odores.  
 Sobrietas, vigilantia, recti zelus adornet.  
 55 Haec Hosius vobis vestigia trita reliquit.
- 

## XXVII. In detestationem separationis consiliorum.

Ubi primum missae sacrificium absolvit, iussus literas de  
 divortio scribere recusat, dicens se ministrum reconciliationis,  
 non odiorum factum esse.

**A**nte novas Hosius vixdum sacraverat aras  
 Primitias Domino,  
 Regia iussa refert procancellarius illi,  
 Scribat ut absque mora

Coniugii acceleraturas divortia schedas. 5

Abnuit ille statim,

Se nuper dicens pacis factum esse ministrum,

Non odii artificem

Seque maritali coniungere foedere sponsos,

Solvere non solitum.

Non posse officium contra parendo venire

Principis imperio.

Scriberet haec alius, quae pacis vincula rumpunt,

Hoc, ait, haud faciam.

Rex ubi sensa Hosii didicit, quem recta monentem 15

Noverat esse virum,

Destitit incoepitis, quae tristia bella ferebant

Exitiumque suis.

Discordes unire animos, pugnantia secum

Tollere constituit. 20

Sic Hosius merito, Rex auctus laude, quod ille

Restitit illicitis,

Hic bona consilia est grate complexus utrumque

Conciliando parem.

Aurea sors Regum est, ubi recta monentibus aures 25

Attribuunt faciles;

Assentatorum ut deliramenta sequuntur,

Ferrea sors eadem est.

## XXVIII. In Sigismundi Regis primi voluntatem de episcopatu Hosii.

Sigismundus I, Rex Poloniae, moriturus filio suo Sigismundo II.  
mandat, ut ad episcopatum curet promovendum Hosium.

**E**t splendor innocentiae et scientiae  
Iubar latere non valent.

Honoribus quantumlibet non ambiant,  
Viam recludunt proximis.

- 5        Regi Sigismundo probata millies  
             Virtus tacentis Hosii,  
       Tacere verum nesciens, en adstitit  
             Mori parantis lectulo.
- 10      Dotes alumni plurimas recensuit  
             Petens laborum praemia.  
       Rex aequitatis arbiter iustissimus  
             Deo datus spiritum  
       Dolere se testatus est id plurimum,  
             Vivens quod hunc tantum virum
- 15      Non posset, ut volebat ipse, debitibus  
             Ornare digne honoribus.  
       Iurare filium iubet sibi suum  
             Tacto parentis pectore  
       Episcopatum, qui prior vacaverit,  
             In fertili Borussia,
- 20      Curaret illi ut conferendum. Hunc optimum  
             Sciens episcopum fore,  
       Rectam sacerdos qui fidem probaverit  
             Sanctis in actionibus.
- 25      Recepit in se filius boni patris  
             Bonus quod ille iusserat,  
       Patri sibique non minus morem gerens,  
             Nam diligebat Hosium.
- 

## XXIX. In nominationem ad episcopatum Culmensem.

Ad Bernardum Macieiovium Episcopum  
             Luceoriensem.

Rex Sigismundus Augustus, Hosium nil minus cogitantem  
             nominat episcopum Culmensem, illo vehementer renitente.

**C**ulmensis olim pontifex ecclesiae  
             Mortuus aetherias Domos ut [im]migraverat,

- Rex mortuo parente promissi memor  
Sponte vocans Hosium Episcopatum nuntiat  
Illi paratum patris et suo quoque 5  
Iudicio, meritis Eius peramplis debitum.  
Assueta qualis libero volatui  
Pulchra stupescit avis, Deprehensam ubi se  
conspicit,  
Oblita dulcium repente cantuum  
Tristior efficitur, Et ipsa non fudit sibi: 10  
Sic tale nil sperans nihilque praesciens  
Territus est Hosius. Regisque complexus pedes,  
Se liberari luctuoso munere  
Suppliance voce rogat, Secum quod aeternae  
trahit  
Damnationis maximum periculum. 15  
Traderet hoc aliis, Quos digniores crederet.  
Rex abnuentem totus orat, obsecrat,  
Et pia iussa patris Implere festinat, celer  
Mittens in urbem Iulioque tertio,  
Cum nihil horum Hosius Sciret, suas per  
literas 20  
Commendat, ordinaret hunc episcopum,  
Cui pietas simul et Doctrina praestans afforet.  
Favebat huic negotio vel maxime  
Regia qui tenuit Sigilla Macieiovius,  
Bernarde dignus te nepote patruus; 25  
Extulit ille Hosium, Mitraque praecinxit caput.  
Post reddidit vicem Hosius: charissimum  
Te senior iuvenem. Fuit (futurum praesulem  
Praedixit, ut scis) Sublaci, dum corpori  
Frigora, spiritui Simul calorem quaerimus, 30  
Felix recepto. Tu gregem iam fervidus  
Cogis ovibus et Graeco vagantem schismate,  
Haeretica vel ebrium licentia  
Solicitus revocas, Christoque sanandum locas,  
Lucrum tibi; tuis mihiique gaudium, 35  
Qui Tiberina bibo Fluentia magnum comparans.

**XXX. In discussionem episcopatus.**  
**Ad Hieronymum Rozrazevium Episcopum**  
**Vladislaviensem.**

Cur acceptandam non putaverit episcopatus dignitatem Hosius;  
 onus illi adiunctum pericula diligentius considerat.

**D**igne Deo antistes Hieronyme, grata Polonis,  
 Amate multum, quae tua Maxima laus, Hosio.  
 Huc ades et tecum, quam moribus exprimis ipse,  
 Episcopi formam boni, Si vacat, inspicias.

- 5    Hanc Hosius quondam speculator substiit atque  
     Subire pastoris grave Noluit officium.  
 Campus maximus est ecclesia; Grex animae sunt,  
     Praesul tenetur quas cibo Pascere iustitiae,  
 More canis, lupus ut ne incurset ovile, paratus  
 10   Oportet ut sit pontifex Semper in excubiis,  
     Quaeque vides vasta prostrata theatra ruina,  
     Vitam sacerdotum notant, Expositam populis,  
     Haec illis spectacula vel bona vel mala praebet.  
     Restauret ipsam, qua ruit, Sollicitudo Patris.
- 15   Altior est ubi stat locus. Omnia namque videre  
     Praelatus est, qui caeteris Debet et addat opem.  
     Propositum unum habeat populi curare salutem,  
     Cui gloriam coeli Deus Praemia constituit.  
     Lege nova et veteri instructus sit: id infula  
     signat.
- 20   Et spiritum cum litera Iungat: id alba duplex  
     Vitta refert. Humeros lenis moderatio velet.  
     Quaevis pati crux, quam gerit, Fortiter ad-  
     monet [haec],  
     Aestibus et tot aquis objecta haec linea vestis  
     Debere mundo mortuum Pontificem esse docet.
- 25   Cingulus adstringens hortatur vivere caste;  
     Ut in bono stet perpetim, Id tunicella monet.  
     Dalmatica, ut manicis est laxior, hospitii ius  
     Servare egenis innuit, Porgere subsidium.

Exterior vestis, reliquos ut claudit amictus,  
     Est charitatis symbolum Perpetuum geminae. 30  
 Catholicae fidei in se continet annulus arrham;  
     Discretionem denotat Impositus digito.  
 Fructum operum signat manus exornata maniplo:  
     Protensa ad exemplum bonis Dextera con-  
         spicitur.  
 Colligit errantes, languentes sustinet atque     35  
     Lentos perurget crebrius Pontificale pedum.  
 Comprimere affectus ratione, haud impete ferri  
     Uterque signatus cruce Calceus insinuat.  
 Haec quicunque tenet coelestia regna meretur,  
     Qui negligit praesul sibi Conciliat barathrum, 40  
 Quaeque pii vates illi tormenta minantur  
     Ignesque vermesque inferos Experietur inops.  
 Viderat haec Hosius, visis expalluit: at post  
     Coactus acceptans onus, Gessit id intrepide, 45  
 Conscius ipse boni. Hoc, Hieronyme, tu facis;  
         usque  
     Memor pericli, dispicis, Utile quod tibi sit,  
 Quodque iuvet populos. Praestas non segnis  
         utrumque  
     Episcopum re, nomine Quippe bonum referens.  
 Hunc cuius speciem Ratiensis in aedibus arcis 50  
     Te velle dudum [tu] mihi Ponere retuleras.

---

### XXXI. In voluntatem renuendi episcopatum.

Haeretici metuentes vigilantiam et zelum Hosii eum ab accep-  
 tando episcopatu deterrent, etiam pecunia oblata hoc ipsum  
 persuadere conantur. Hosius vicissim offert illis pecuniam,  
     ut eum ab onere episcopatus liberandum curent.

**S**ic lepores subita pleni formidine postquam  
     Sensere latratum canis,

- In latebras se coniiciunt diversaque tentant,  
 Ut consulant rebus suis,
- 5 Effugia: haeretici veluti fecere Borussi,  
 Ad quos ut allatum fuit,  
 Augustus quod Rex Hosium decreverat illis  
 Episcopum proponere,  
 Concipiunt tristes vafro sub pectore curas,
- 10 Et huc et illuc cursitant,  
 A coepto precibus tentant avertere Regem:  
 Obstare leges Prussicas,  
 Infensi clamant, Hosio, quo praesule certum  
 Suis vident erroribus
- 15 Instare exitium: pereundi tanta cupido est.  
 Ubi nec orando neque  
 Vanis proficiunt clamoribus, aptior illis  
 Occurrit audendi via,  
 Ex lepore in vulpem mutantur (id haereseon fert
- 20 Natura nil fixum gerens),  
 Conveniunt Hosium vultusque fatentur amicos,  
 Vitam quietam praedicant.  
 Et loca reprendunt sublimia plena pericli:  
 Suadent ut oblatum sibi
- 25 Munus respuat et se tantis liberet ausis.  
 Habere quod sit plus satis,  
 Se tamen hoc offerre (ferunt argentea vasa  
 Aurique grandem copiam)  
 Transigat utque suum posthac pacatior aevum
- 30 Contentus oblatis, rogant.  
 Sinceritas agit hic grates suadentibus, auro et  
 Renuntiat donis. Licet  
 Res non ampla domi foret ipsi, hac se tamen illis  
 Omnem daturum nuntiat,
- 35 Efficerent onere ut liber solvatur ab isto  
 Et impetrarent, hactenus  
 Ipse quod haud potuit. Facerent decidere  
 Regem  
 Priore de sententia.

Sic quos ambitio nummis affectat honores,

A se removendos dato

40

Candida mens Hosii frustra tentaverat auro,

Se dans in exemplum sibi.

### XXXII. In susceptum episcopatum.

**Ad Stanislaum Karnkovium Archiepiscopum Gnesnensem, Regni Poloniae Primate.**

Literis ordinationis suae ex urbe allatis divinae vocationi assensum praebet et in episcopum Culmensem consecratur.

**L**audari dignus, qui nulos ambit honores,  
Amans quietem honestioris otii,  
Non minus ille, Deo qui paret rite vocanti  
Negotiisque laetus obiicit caput.  
Sic Hosius, dum quivit, restitit. Ast ubi vocem 5  
Dei iubentis aure mentis audiit,  
Pontificale onus et quos defugiebat honores  
Recepit, infula decorus aurea.  
Lucidior solito illa dies et amoenior, inter  
Episcopos sedere prima quae dedit 10  
Praestanti meritis Hosio: qui solis ad instar,  
Refulsit in domo Dei, fidelibus  
Exemplo, doctrina errantibus, omnibus aequa  
Viam salutis explicare idoneus.  
Magne Polonorum Primas, tu testis es unus, 15  
Quibus pepercit ille, dic, laboribus,  
Ut cultum fidei sacrae moresque probatos  
Suae reduceret vigil Poloniae?  
Quid scriptis, quid voce, probe tu conscius, egit?  
Deo placere patriaeque dum studet 20

- Consulere, ordinis et vestri defendit honorem.  
 Beata ter quaterque sit dies, iubar  
 Praesulibus, tibi quae tantum produxit amicum  
 Tuis faventem honoribus potissime,  
 25 Quem socium sacra pro religione laborum  
 Amore diligebat hic manens pari,  
 Nunc imitatorem succedere raptus ad astra  
 In omnibus videbit actionibus.  
 Te, pie Karnkovi, patrum decus, inclyte Regum  
 30 Creator et senator integerrime.
- 

### XXXIII. In somni interruptam continuationem.

Continuato somno uti desit ab ea nocte, quae consecrationem eius est subsequuta usque ad extremum vitae suae diem.

- N**on miles imminentे proelio bonus,  
 Non pastor instantes gregi sciens lupos,  
 Non nauta proximum videns periculum,  
 Non Hosius factus recens episcopus  
 Securus in somnos resolvitur leves.  
 Solebat ille, non sacerdos, unico  
 Tractu per horas deputatas sobrio  
 Sopore corpus irrigare languidum;  
 Ut ordinatus est episcopus, statim  
 5 Illum reliquit somnus integer neque  
 Morem receptum nocte prima praestitit.  
 Quod usque vitae tempus in suae ultimum  
 Durasse novimus; sciant et posteri.  
 Non sivit indulgere quippe corpori  
 10 Ecclesiarum cura diligentior  
 Episcopalis atque providentia.  
 Vولvens Homeri saepe dictum nobile:

Illos nefas dormire noctes integras,  
Quibus foret commissa multorum salus. 20  
Membris quietem, haud cogitationibus  
Impertiebat: in tenebris praevidens,  
Quod in sequenti vellet effectum die.  
Prodesse quam praeesse malens omnibus  
Et optimi partes adimplet militis,  
Et interire praecaventis navitae 25  
Pastoris atque diligentis munia.

---

### XXXIV. In legationis munus ad Caesarem invictum.

Statim ut ordinatus est episcopus, designatus est orator a  
Sigismundo Augusto Rege ad Carolum V. Imperatorem.

**N**ondum pastor oves noscere cooperat  
Assumens Hosius pontificis iugum,  
Pulchrae pacis opus nectere mittitur  
Regis nomine cum Caesare Carolo.  
Suscepti ratio muneris exigit 5  
Hic curare gregem, pax sed in alteram  
Partem sevocat et iussio principis.  
Anceps quid faciat discutit omnia,  
Ad nutumque Dei consilium refert.  
Pax visa est potior, qua sine nec gregem 10  
Quisquam rite valet pascere creditum,  
Nec constare hominum condicio potest.  
Assensum ergo suum Regis ad optimi  
Confert iudicium pacis episcopus  
Nectendae cupidus: Christiadum sciens 15  
Concordi proceres foedere iungere.  
Pondus difficilis grande negotii

- 20      Permittens Hosii Rex sapientiae  
           Spectatae et fidei rebus in arduis  
           Dimittit placide. Prosequitur bonis  
           Dismissum ominibus turba faventium
- 

### XXXV. In foedera cum Carolo V.

Pacta foederum, quae regno Poloniae cum imperio antiquitus  
                           intercedunt, a Carolo V. confirmari obtinuit.

- H**oc quoque Quinte tuas augebit Carole laudes,  
           Aetas quod tua clarorum non parca virorum  
           His Hosium apposuit scriptis in saecula notum.  
           Te legatus adit Gandavi regna colentem,
- 5      Quae populosa suas ostendit Flandrica vires;  
           Excipis officio venientem suaviter omni  
           Utque decet magni legatum Regis honoras.  
           Principis ille sui exponit mandata bonaequae  
           Pacis opes aeternaque commoda, quaeque Polonis
- 10     Cum Germanis intercedunt foedera narrat,  
           Illaque Caesareo firmari robore poscit.  
           Dixerat haec; tu dicentis defixus in ore  
           Iudicium sublime viri fandiique leporem  
           Miraris tacitus primum, mox prodis aperte
- 15     Collaudans dictisque bonas veracibus aures  
           Praebebas et geminas pergis coniungere gentes  
           Iure pari stabilique ligas in saecula nexu.  
           Sic pacis placide permittis abire ministrum.  
           Ille tui veniens posthac ante ora Philippi
- 20     Regis amicitiam cognati sedulus offert  
           Et responsa tulit, quae principe digna propinquo.
-

## XXXVI. In amicitiam cum Ferdinando Romanorum et Bohemiae Rege stabilitam.

Cum Ferdinando Romanorum et Bohemiae Rege pacis foedera  
pro regno Poloniae et ditionibus illi subiectis renovat.

**U**nam Polonis et Bohemis omnibus  
Antiquiores afferunt originem,  
Duobus olim prodeuntem fratribus.  
Ut veriorem comprobent originem, 5  
Amore fraterno tenentur invicem  
Certare, non armis, malas terentibus  
Vastationes sustinendas civibus  
Suis utrinque vindicandas posteris.  
Id perspicaci praevidens acumine 10  
Pacis peritus artifex episcopus,  
Ad Ferdinandum deputatus Hosius  
Orator eloquens: prioris admonet  
Utrinque pacti foederis concorditer,  
Verboque firmari poposcit regio. 15  
Nec postulata reiicit Rex optimus  
Pacisque cultor Christianae fervidus,  
Bohemicaeque nationis nomine,  
Cuius tenebat sceptrum, iurat integer  
Se cum Polonis icta quondam foedera 20  
Sanctae retenturum dies in ultimos.  
Rex conspicatus Hosii prudentiam  
Hunc inter intimos recepit, cui suae  
Arcana mentis proferebat libere  
In arduis quibuslibet negotiis. 25  
Aula recedentem sua favoribus  
Est prosequutus maximis: id scilicet  
Debeat aequus arbiter virtutibus.

## XXXVII. In acta Thorunensia.

## Ad Petrum Kostkam Episcopum Culmensem.

Ludimagistri, qui novandae religioni in civitate regia studebat,  
insolentiam comprimit.

- P**etre, Borussiacae non ultima gloria gentis,  
Politioris literaturae decus,  
Quem praestans Hosius patris dilexit amore  
Ad Sequanae fluenta Musis deditum,
- 5 Nunc successorem coelo prospectat ab alto  
Culmensium probe regentem ecclesiam.  
Si vacat, hac mecum nunc contemplare tabella,  
Quos ille pro salute Thorunensium  
Pastor amans ovium voluit perferre labores.
- 10 Reversus ex legatione Belgica  
Reperit haereseon maculatum labe magistrum  
Scholae iuventuti venenum porgere  
Atque novos templis sacrorum inducere ritus  
Et christianam veritatem tollere.
- 15 Praesul ob haec Hosius dignas se concipit iras,  
Ludimagistri obiurgat insolentiam  
Inque suis perstantem erroribus acriter urget  
Et impotentiam Lutheri dogmatis  
Vivis demonstrat rationibus; omnia tentat,
- 20 Ut possit obstinationem demere  
Infixam scioli cerebro. Sed surdior ille  
Magisque dura cote pertinax bonis  
Non cedit monitis: cessurus praeda draconi,  
Qui regna Cocytii tenet nigrantia.
- 25 Non tamen officio desistit episcopus. Omnem  
Cogit senatum civitatis illico,  
Impia qui stulti coluit figmenta Lutheri;  
Illie recenset daemonis fallaciam,  
Detegit errorum tenebras, desuetaque corda
- 30 Audire priscae veritatis dogmata

Emollit dictis: primosque reducit honores  
 (Ludimagistri comprimens licentiam)  
 Templis. Sicque bonis rerum successibus auctus,  
 Maiora dum subinde mente volveret,  
 Ex hac Culmensi, quam tu nunc Petre gubernas, 35  
 Ad Varmiensem abductus est ecclesiam.

---

### XXXVIII. In translationem ad ecclesiam Varmiensem.

Ad Andream Bathoreum S. R. E. Cardinalem Episcopum Varmiensem.

Ad postulationem Capituli Varmiensis a Iulio III Pont. Max.  
 a Culmensi ad Varmiensem ecclesiam transfertur.

**M**agnanime Andrea, Romani magna senatus  
 Gloria, Bathoreae lux fulgentissima stirpis,  
 Rege nepos Stephano dignissime, se tibi noster  
 Hic offert Hosius. Culmensi sede remotus  
 Postquam ad Varmiacum fuerat translatus ovile, 5  
 Quod maris ad litus servat tutela beati  
 Andreeae, unde tibi de nomine surgit origo.  
 Tertius hunc illi templo praefecit Iulus  
 Augusti precibus Regis persuasus et ipsa  
 Insigni pietate viri, quae impleverat orbem. 10  
 Impositum subit ille onus assiduosque labores  
 In grege pascendo tolerans contexuit aevum  
 Et meritis multisque simul productius annis.  
 Eius fama tuas postquam pervenit ad aures  
 Defuncti, recte colis hunc et in aethera tollis. 15  
 Hic ut in officio sibi te succedere vidit,  
 Ecce tibi spectandus adest ac talia fatur:  
 Inlyte Bathoreus, quem sanguis regius ornat,  
 Ingenium felix et mores principe digni,

- 20 Gratulor in nostros te successisse labores,  
Quos iuvenem perferre decet, cui fortior aetas  
Atque animi surgit vigor igneus. Adiice mentem  
Ad res praeclare pro Christi laude gerendas.  
Materiam locus ecce dabit, cui te Deus ipse
- 25 Praefecit. Tumet infelix Elbinga veneno  
Imperio commissa tuo, quod perfida totis  
Haeresis instillat venis. Succurre furenti  
Et medicas appone manus, licet usque recuset  
Curari, usque recusanti medicamina misce.
- 30 Redde sacerdotes templis, quos turpiter olim  
Sedibus eiecit propriis phanaticus error.  
Exemplis insiste meis, licet ardua res haec  
Forte videbitur, haud erit ardua, crede, volenti.  
Auxilium Deus ipse piis superingeret ausis.
- 35 Haeretica est infecta tibi vicinia labe,  
Cautus provideas, mala ne contagia serpent  
Adducantque greges in aperta pericula nostros.  
Annua finitimis dicentur iura Borussis;  
Civiles sanabuntur, te praeside, lites.
- 40 Sis rigidus legum custos, studiosior aequi  
Et faciles tribuas causas orantibus aures.  
In regni quando promes tua sensa senatu,  
Consiliis patriam suadendo recta iuvabis  
Catholicamque fidem clerique tuebere causas.
- 45 Iamque sacerdotum vitas et crimina disces.  
Sontes corripies, iustos constanter amabis.  
Exemplum cunctis imitabile te dabis ipsum.  
Quas me, quasque tuum cernis tenuisse Cro-  
merum,
- Carpe vias prudens. Te praemia pulchra mane-  
bunt,
- 50 Quae Deus in coelis recte viventibus offert.

### XXXIX. In libellum de expresso verbo Dei.

Ad Hieronymum Osorium Lusitanum,  
Algarbiorum Episcopum.

Praefectus Braunsbergensis Praikius novis rebus cum uxore studens communionem utriusque speciei urget. Eum Hosius praefectura privat et libellum de expresso Dei verbo, quod pro se stare praefectus frustra contendebat, valde utilem conscribit.

**S**criptio plura solet portare pericula secum,  
Sagaciore quae videt Iudicio sapiens.  
Tardius hinc poscit membranas nec, nisi nactus  
Occasionem, publica Quod monet utilitas,  
Committit calamo, popularem negligit auram: 5  
Virtute munitus sua Se obiicit invidiae.  
Sic tu, sic Hosius tibi pulchre cognitus istum  
Descendit in campum, velut Ipse tibi retulit,  
Dum eius visendi studio, vir maxime, Romam  
Te contulisses, divite Vectus ab usque Tago. 10  
Praikius haereticae deceptus coniugis astu,  
Utramque concedi sibi Expetiit speciem  
Sacramentorum, contra quam praecipit usus  
Ecclesiae. Concedere Noluit hoc Hosius.  
Turpiter errantem praefecti munere privat,  
Et oppido cum coniuge Propulit haeretica. 15  
Ille pati se talia femineo cum ululatu  
A praesule iniuste suo Coepit ubique queri.  
Se bene nosse, quod expresse scripture doceret,  
Sibi negatum clamitat Rite minus calicem. 20  
Indigne tulit hoc pater, expressumque quod esset  
Verbum Dei, non feminae Mobilis arbitrio  
Stare, sed a patribus sanctis hoc esse petendum,  
Parvo sed insigni libro Prodidit utiliter.  
Principium vestro dedit iste libellus amori, 25  
Osorium nexu pari Consocians Hosio,

- Ambos eloquio celebres pietateque claros  
 Nostrique saecli lumina Sideribus paria.  
 Ille tuos, eius tu tollis in astra labores,  
 30 Lugesque raptum nunc tibi. Te videt ille tamen  
 A summoque Deo prolixae tempora vitae  
 Tibi impetrabit; floreas Hoc ut in orbe diu.
- 

## XL. De Confessione Christiana.

Ad Gregorium XIII. Pont. Maximum  
 Boncompagnum.

- M**axime Pontificum, de sacris cui datur uni  
 Scriptis iudicium terre, ad te mittimus, olim  
 Quae fuerant Hosii conscripta volumina dextra.  
 5 Haec inter prima est fidei confessio nostrae,  
 Quam Synodo mandante Polonae gentis ad usum  
 Ediderat properans, post multis partibus aucta  
 Gentibus innumeris et toti profuit orbi.  
 Evolvi dignus liber, in quo vera nitescit  
 10 Religio, patrum puris e fontibus hausta.  
 Hic antiqua fides, nullis velata novorum  
 Errorum fucis, nude proponitur, omnis  
 Divini cultus ratio monstratur aperte  
 Unaque detegitur certis ecclesia signis,  
 15 Summi Pontificis describitur alma potestas,  
 Sanctio traditur oecumenica conciliorum,  
 Sacraenta novae exponuntur singula legis,  
 Quae sunt a patribus sine scripto tradita sanctis,  
 Proque loco, vel pro re, vel pro tempore primis  
 20 Invecti ritus templis narrantur ad unguem,  
 Haeretica oppositis superatur opinio telis,  
 Corrupti mores cum libertate notantur.  
 Quod iuvet, intactum liber hic nil praeterit, inde  
 Plures assumpsit linguas traductus et omnem

- Donatus praelo toties circumvolat orbem. 25  
 Summe Pater, tu testis es ipse, quid utilitatis  
 Attulerit labor hic Hosii. Quae gesserit ille  
 Pontificum in coetu pro religione coacto,  
 Noras tu minor et nunc Maximus immemor  
   haud es,  
 Commemorando palam, et luges tibi nuper    ademptum 30  
 Bellatorem Hosium, pro sacrae sedis honore  
 Cui tu credideras oneris quae maxima partem,  
 Sponte tui coeli tribuens recludere portas  
 Errores fassis cupidisque abstergere fletu.  
 Laus magna haec Hosii. Tibi longe maxima,  
   tantos 35  
 Et proprios tibi qui dignis decernis honores.  
 Non sic marmoreae moles aut proxima coelo,  
 Quae tu tempa locas, olim tua facta loquentur,  
 Quam virtus adamata Hosii detectaque mundo  
 Tot merita ingenui senis, in quae non cadit  
   ullus 40  
 Interitus, nomenque tuum durabit in illis.  
 Quodque silet marmor, doctorum haud scripta  
   tacebunt,  
 Gregorioque ferent Hosium per saecula charum.
- 

## XLI. De collatione cum Duce Prussiae.

Ad Stanislaum Suchorzevium, Canonicum  
 Cracoviensem.

**A**lbertus olim, Teutonici ordinis  
 Summus Magister, catholica fide  
 Spreta Lutheri turpe dogma,  
 Deiiciens habitum, recepit.

- 5      Ad conciones hinc Osiandricas  
       Vocare consuerat populum tubis,  
       Dum Rex Gedani commoratur:  
       Non tulit hacc Hosius, sed auctor
- 10     Fuit Sigismundo, Duci hanc pati  
       Ne vellet audacis petulantiam.  
       Rex misit ipsum, qui referret  
       Ista Duci et sonitus vetaret.
- 15     Ille admonenti paruit, illico  
       Tubas removit, cetera surdior  
       Excepit, obdens veritati  
       Difficiles inimicus aures.
- 20     Sensus bonorum scilicet haeresis  
       Evertit omnem nec rationibus  
       Concedit ullis. Eloquentis  
       Nil Hosii potuere voces
- 25     In obstinati pectore principis,  
       Quem matris ad sanctae gremium pater  
       Pro christiana charitate  
       Consilio revocabat omni.
- 30     Quis nescit ardens pontificis bono  
       Calore pectus, dum cupit erutas  
       Orco tot in praeceps ruentes  
       Heu miseras animas edaci!
- 35     Noras id ipsum tu quoque, candide  
       Virtutum amator; dulce mihi loqui  
       Tecum Suchorevi, favere  
       Quem scio laudibus Hosianis.
- Nobis faves tu: nos tibi, nullaque,  
 Quamvis remotum, te poterit dies
- 35     Totis inhaerentem medullis  
       Ex animo pepulisse nostro.

## XLII. De cura recte instituendae iuuentutis.

Ad Antonium Possevinum ex Soc. Iesu.

**S**

Sic filiorum commoda promovet  
Pater benignus, sic timidi gregis  
Securitatem pastor, aegri  
Sic medicus vigilans salutem,

Noster iuuentutis velut Hosius  
Gessit regendae solicitudinem.

Simplex ab errorum magistris  
Ne male deciperetur aetas,

Novas alendis nobilibus scholas  
Erexit Heilsbergae pueris, simul  
Cum literis ut veritatem  
Catholicae fidei tenerent.

Viciniores undique liberos,  
Quorum parentes haeresibus capi  
Praesensit, ad se pertrahebat  
In pietateque nutriebat.

Duces futuros progenitoribus  
Ad deserendas haereseon vias  
Tu testis, Antoni, iuventus  
Docta quid utilitatis orbi

Producat, auctor Gregorii patris  
Collegiorum, non Hosii inueni  
Plantationis, quae subinde  
Fertilibus iuvenescit herbis.

Septemtriones quamlibet aspicit,  
Vigor caloris vivit adhuc tui  
Vivetque, Possevine, magnus  
Sit modo Gregorius superstes.

5

10

15

20

25

### XLIII. De confutatione Prolegomenon Brentii.

Ad Guilhelmum Scirletum, S. R. E.  
Cardinalem doctissimum.

- N**e Varmiensem mortuum putas tuum,  
Scirlete, doctorum decus.  
Modum dolori pone! Vivit et sui  
Maiore vivit parte, si  
5 Spectes receptum coelitum consortio,  
Servantem et hic nomen bonum et  
Scriptis iuvantem candidis ecclesiam  
Tibi probatis plurimum.  
Non ille Brentii tulit vesaniam  
10 Sotum lacescentis Petrum,  
Vergerii neque impudentiam, probo  
Regi dicantis improba  
Sui magistri scripta. Sed styli potens  
Utrumque victrici manu  
15 Confecit hostem, vindicans iniuriam  
Suo irrogatam principi  
Veramque Soti protegens sententiam  
Et Brentianam confutans.  
Nudatus omni parte Brentius iacet,  
20 Eius patent mendacia,  
Detecta sunt dolus, tumor, superbia  
Sibique complacens amor.  
Pulchre triumphant christiana veritas  
In Hosii nitens libro.  
25 Quem tu solebas, Cardinalis optime,  
Magnum vocare saepius.  
Magnum fuisse multa sicut comprobant,  
Sic parvitas haec Brentii,  
Licet videri magnus ambiebat, ut  
30 Solent ministri daemonis.

At noster hic contra: sibi visus minor,  
 Sed ceteris vel maximus,  
 Libri sequens ut indicabit pagina,  
 Si non recuses vertere.

---

## XLIV. De Hosii Romam vocatione.

Ad Antonium S. R. E. Cardinalem  
 Caraffam.

**S**idus velut sub noctis atrae tempora  
 Eminus exiguum  
 Videtur, at magnum tamen

Iubar ministrat, sic et ipse parvulum  
 Se reputans Hosius  
 Remotius resplenduit,

Insignioribus viris et patruo,  
 Docte Caraffa, tuo,  
 Qui Pontifex summus fuit,

Ornatus innocentiae praeconio  
 Laudibus eloquii  
 Virtutibusque maximis.

Hic Hosii de dotibus pulcherrimis  
 Ut didicit Veneto  
 Ex Lypomano (Nuntium

Cum laude qui gerebat in Polonia  
 Nuper Apostolicum),  
 Ternis vocatum literis

Romam venire compulit, de quo sibi  
 Plurima pollicitus,  
 Eius iuvari credidit

5

10

15

20

- Se posse vel quam maxime salubribus  
 Consiliis in ope  
 Christi ferenda ecclesiae.
- 25 Non tardat ille, se dat in viam statim,  
 Dum leo torret agros,  
 Certi iminemor periculi,  
 Parere quum Christi studet Vicario.  
 30 Hæretici trepidant,  
 Transire qua illum contigit.
- Hic, inquiunt, nos perditos volens, celer  
 Currit in Italiam.  
 Nil verius. Tu noveras
- 35 Episcopi conatum et ardorem pii  
 Non minus ipse pius.  
 Amator, Antoni, senis  
 Nostri, bonorum fautor integerrime  
 Parthenopesque tuae et  
 Sacri senatus gloria.
- 

## XLV. De Hosii primo in Urbem adventu.

Ad Stanislaum Paulovium, Episcopum  
 Olomucensem.

**C**ognite Paulovi mihi primis suaviter annis,  
 Nunc Marcomannorum optime  
 Praesul et eximii

5 Clare nepos patrui et successor digne Ioannis!  
 Leges, quod ille saepius  
 Commemorans retulit,

Assistens Hosio et Graeci pia scripta Cyrilli  
 Reddens latine, quam bono  
 Pontifici fuerit

Grata Hosii praesentia, pervenientis in urbem. 10  
 Sic Abrahamus angelos  
 Scribitur hospitio

Excepisse suo. Veronae praesul ut illum  
 Ante ora deduxit sacri  
 Proxima Pontificis, 15

Oscula prona dedit pedibus. Solio ille resurgens  
 Dignatur amplexu statim,  
 Erigit atque Hosium,

Curque vocaverit hunc, causas ex ordine narrat.  
 Illi ad labores quoslibet 20  
 Omne suum studium

Detulit antiqua pro religione ferendos,  
 Modos iuvandae ecclesiae  
 Pluribus exposuit.

Princeps expleri nequit et dicentis ab ore 25  
 Dependet, horarum trium  
 Continuando moras,

Nec satiatur adhuc. Sed postquam sponte recessit  
 Hospes novus, tum Pontifex  
 Talia dicta dedit: 30

Magna fuere quidem, quae dicto accepimus, huius  
 De dotibus magnis viri,  
 Nunc tamen experimur

A vero famam longe fluxisse minorem,  
 Regina quam sententiam 35  
 De Salomone tulit.

## XLVI. De cardinalatus Hosio oblati recusatione.

Ad Alexandrum S. R. E. Cardinalem  
Farnesium, Regni Poloniae Protectorem  
amplissimum.

- N**emo te melius, Farnesi, prospicit uno,  
 Qui solus urbem fortibus  
 Sustentas humeris animi, latus et orbem,  
 Sublime cardinalium  
 5 Quot rerum subeat vel qualia pondera munus.  
 Idem videbat Hosius,  
 Qui sponte oblatum sibi detectavit honorem  
 Daturus exemplum unicum,  
 Vix aliis imitabile. Paulus nomine quartus  
 10 Ex mutuis sermonibus  
 Captus amore Hosii, mirari desiit omnes  
 Hoc cognito insignes viros.  
 Sique sibi tantum panis foret integer unus,  
 Hunc velle partiri illico  
 15 Secum dicebat. Demum non multa moratus  
 Illum expedire nuntium  
 Concilii causa cogendi ad Caesaris aulam  
 Volebat, et posthac brevi  
 Tempore purpureo absentem decorare galero  
 20 Propter laboris praemium.  
 Sic pavet ad nati praevisa pericula mater,  
 Qui turbidum sulcat mare,  
 Mens Hosio veluti faciem turbavit, honores  
 Ut vidi offerri novos,  
 25 Damna timens famae, ne se quis ob ambitionem  
 Venisse in urbem diceret.  
 Sternitur ante pedes Pauli, demissius orat,  
 Ne dispari se praegravet

- Quod dubitet perferre iugo, tot honoribus ornans. 30  
 Quocunque vellet, mitteret  
 Iturum intrepide. Sed mors sua vota fefellit.  
 Insigne purpurae decus,  
 Maxime Farnesi, Dominae spes unica Romae,  
 Cultor piorum: candidam  
 Tu noras Hosii mentem, notamque colebas 35  
 Ad usque tempus ultimum.  
 Tu iucunda illi solatia ferre [solebas],  
 Solebat ille te suum  
 Dicere patronum curatoremque salutis,  
 Ut gentis es Polonicae, 40  
 Sisque diu, precor, heroum lux, urbis et orbis  
 Amor, levamen pauperum  
 Magnarumque opifex rerum, quae nomen in astra  
 Ferent, Alexander, tuum.
- 

## XLVII. De Nuntii Apostolici munere.

Ad Marcum Siticum S. R. E. Cardinalem  
 ab Altaemps.

- V**eris Pii quarti favere laudibus  
 Ut, Marce, non frustra soles, sic hanc quoque  
 Appone ceteris, quod ille Pontifex,  
 In deferendis publicis honoribus  
 Solebat uti maxima prudentia, 5  
 Virtutibus volendo, non favoribus  
 Prodesse, qui ut iuvent suorum commoda,  
 Plerumque publicis nocent. Huic ut triplex  
 Corona praecinxit decorum verticem,  
 Clavum gubernandae Petri nactus ratis, 10  
 Paulique quarti cogitationibus  
 Locum relinquens, Varmiensem cognitum  
 Sibi ante, coram accersitum, compluribus

- Verbis ferendos ad labores admonet,  
 15 Ad Caesaremque nuntium creat suum.  
 Mandata, quae deberet exequi, refert  
 Et dignitatum pollicetur culmina.  
 Agnovit ille proximam vocem statim  
 Christi loquentis in suo Vicario.  
 20 Tam grande munus pro sua modestia  
 Primo recusabat, sed effecit tamen  
 Suprema coelo defluens auctoritas,  
 Ut illud acceptaret, et sacros pedes  
 Exosculatus Praesulis ter Maximi  
 25 Sese Viennam nil moratus contulit.  
 Nec missionis principem, nec Hosium  
 Cepit laboris ulla poenitentia.  
 Quod, Maree, nosti, singulari qui modo  
 Vivum colebas mortuumque nunc colis,  
 30 Ad eius ossa collocans olim tui  
 Urnam sepulchri, quam ut subintres tardior  
 Deum precamur. Ipsa Mater gratiae  
 Clementiaeque (cuius inclyta ex situ  
 Turpi repurgas templa trans Tiberim, novo  
 35 Splendore vestiens) id effectum dabit,  
 Et eminentem te diu nobis in hac  
 Rerum arce servabit valentem prospere.
- 

### XLVIII. De transactione negotiorum cum Ferdinando Caesare.

Ad Vincentium Laureum, S. R. E.  
Cardinalem Montis regalis.

**T**ractandis gravibus, novimus hoc, nate negotiis  
Vincenti, ipse vides pontificum quam grave nuntii  
Munus sustineant, turpis ubi pullulat haeresis.

Qua cum laude Hosius gesserit hoc Caesaris  
ad latus,

Disces. Is simul ut venerat, a Caesare comiter 5  
Est acceptus, eum quod meritis praecipuis virum  
Ornatum audierat. Tunc Hosius Pontificis data  
Verbis rite salute exposuit promptus et eloquens  
Orator, fidei catholicae quanta sit unitas,  
Quam discors novitas praecipites haereticos agat, 10  
Quantum sit studium, quae pia mens Pontificis Pii  
Extirpare volentis penitus monstrata tot haeresum,  
Tollendi mala tot quae via sit convenientior,  
Quod munus proprium catholici Caesaris et  
quibus

Possit restitui religio conditionibus. 15

Fari vix Hosius desierat, gratus ad oscula  
Cervicem explicuit, dando libens Caesar episcopo.  
Tum sic illachrymans: Non memini me ex  
oculis, ait,

Emisisse meis lachrimulam, non nisi cum mea  
Coniunx occubuit, nunc tua vox cor tetigit meum 20  
Humectatque genas. Spiritus hoc, iam video, Dei  
Praesens efficit, ut labra tibi, cor moveat mihi.  
Quidvis praecipias (ecce potes flectere), quolibet  
Impelle: obsequium Pontifici detulero volens.

Promissisque stetit, fingere non doctus, at 25  
integer

Princeps, dans Hosii consiliis assidue locum,  
Quae de fonte gravis iudicii currere viderat.  
Vidisti quoque tu, Laure, piam solicitudinem  
Divini sensis in Sarmatiae partibus, optimum  
Dum legatum ageres Gregorii: quot patriae 30  
modos

Salvandae exhibuit; quo studio in te fuerit,  
probe

Experti sumus; ob praecipuas ingenii tui  
Dotes inque tuis muneribus perpetuam fidem  
In votis habuit, te socium purpureo patronum

- 35 In coetu aspicere. Id mors vetuit, non vetuit tibi  
 Quae fert exitium corporibus stella caniculae,  
 Illum quo minus ex urbe cito pervenieus gradu  
 Aegrotum inspiceres, atque vale tristior ultimum  
 Proferres Hosio iusta parans et meritum tibi.
- 

## XLIX. De colloquiis cum Maximiliano Bohemorum Rege habitis.

Ad Stanislaum Rescium, Abbatem  
 Andrciovensem.

**D**ilecte (verbum, quod sit amoribus  
 Commune nostris, non aliud mihi  
 Lubescit) o Resci, quis uno  
 Te melius meminit, Viennae

- 5 Quid noster excellens Hosius rei  
 Tractaverit cum Rege Bohemiae,  
 Spinasque surgentes in agro  
 Qua sapiens resecavit arte?
- 10 Deproeliantes haereticos simul  
 Turrim innovantes et Babyloniam  
 Monstrare quam pulchre solebat,  
 Discipulus memoras fidelis.
- Nunc iam magistrum sollicitum refers,  
 Portenta sumpto conficiens stylo  
 15 Quaecunque praesens vidit aetas,  
 Et minimum numerans ad unguem,  
 Cavens piorum mentibus utili  
 Labore, Syrtes haereticas procul  
 Vitent procellososque fluctus,  
 20 Quos agitat cerebrosus error.

Alumne magni digne Hosii, pios  
Cuius labores impiger excitas,

Lux illa, quae te illi ministrum  
Prima dedit, viveo nota

Venit lapillo, quae tibi principem,  
Te principi sic iunxerat, ut nihil  
Coniunctius posset videri.

Fecerat hoc utriusque virtus

Amata utrinque. At non minus auspici  
Praeclavio debetur et hoc tuo

Primas recludenti fores ad  
Obsequium domini faventis,

Cui sedulus tunc a studiis fores,  
At post senectae praesidium: bono

Reddens patrono gratiam, quod  
Non moritura loquetur aetas.

25

30

50

## L. De Fausero Vienna pulso.

Ad Martinum Cromerum, Episcopum  
Varmiensem.

**R**ana velut palustris  
Obstrepit durum resonans, ne philomela dulci  
Voce tenere possit  
Aurum seusus, studuit sic latitans in ima  
Haereseon palude

Turpe Fauserus blaterans obstrepere im-  
pudenter

Dulce Hosio canenti.

Namque subvertens populos urbe procul  
malignas

5

- Cogere conciones  
10 Cooperat, spargens fatui dogma novum Lutheri.  
Iamque aderat frequenter  
Plebs, novandis dedita rebus, faciles habebat  
Impietas patronos,  
Donec exurgens Hosius Caesaris haec ad aures  
15 Detulit, atque pelli  
Urbe Fauserum petuit, quod sceleratus atque  
Seditiosus esset.  
Caesar insistens Hosii consilio ministrum  
Daemonis exulare  
20 Iussit. Ut ranae petulans garrulitas re-  
pressa est,  
Uberiore fructu  
Pervigil causas Hosius religionis egit,  
Magne Cromere, tecum  
Conferendo singula, qui Regis eras Poloni  
25 Caesaris ad manum tunc  
Dignus orator. Duo sic lumina nationis  
Splendidissima nostrae  
Caesar a magnis habuit consiliis, et horum  
Ingenio duorum  
30 Se Polonorum (sibi si traditus esset orbis  
Integer ad regendum)  
Posse fulciri toties optimus Imperator  
Ingenue fateri  
Non verebatur. Quid ad istas utriusque laudes  
35 Nescio possit addi.  
Vivet amborum pietas inque libris coruscans  
Eloquium, atque vitae  
Candor et prudentia. Semper, mea si vigebunt  
Carmina, quamlibet sint  
40 Parva, sublimes Hosium teque Cromere tollent.

# LI. De rosa, pileo et gladio Caesari tradito.

Ad Stephanum I. Poloniae Regem..

**R**ex invicte, tibi gladium mitramque daturus,  
Qualia Gregorius Romana praesul in urbe,  
Uchanio redeunte, tibi pro munere misit.  
Iure quidem. Nostro quis enim te promptior aevo  
Corriperearma manu, correptissternere Moschum,  
Contemptorem hominum et Romani nominis 5  
hostem?

Vidimus ereptas arcesque urbesque tyranni  
De manibus tetri. Ad strages caedesque suorum  
Obstupuit foedamque annis et sanguine multo  
Caesariem vellens formidine palluit excors. 10  
Pontificis sacer hic, quem vibras, strenuus ensis  
Schismaticum bibet Arctoa sub sede cruentem,  
Errantes populos ad Christi coget ovile  
In pulchraeque vocabit libertatis honorem.  
Pileus id auro et gemmis designat onustus, 15  
Suprema nitidam gestans in parte columbam.  
Nil servile facit, Christi quem Spiritus afflat,  
Peccatique iugum linquens super aethera fertur,  
Inde sibi deposita opem. Tibi gloria maior  
Surget odorque tuus totum circumdabit orbem, 20  
Ut rosa divitias cum naribus explicat omnes.  
O utinam haec Hosius, quae tunc mente hau-  
serat augur,  
Dum tua dona stupet primo vix limine regni,  
Auribus hausisset: quae gaudia quantaque toto  
Pectore conciperet? Nunc coelo spectat ab alto 25  
Teque tuumque decus. Superosque ut fortibus  
ausis

Ingentem Stephanum per saecula multasecundent,  
Impellit precibus; tu vitae munere functum  
Rite colis, cuius viventis nomen amabas

- 30 Consiliis cedens gravibus: velut optimus olim  
Caesar obaudivit, gladium tegmenque rosamque  
Accipiens. Eequid sibi talia munera vellent,  
Ex Hosio didicit. Surgit velut altior ignis  
Ex olei pinguedine, sic maioribus arsit
- 35 Tunc princeps studiis Christi venerabile corpus  
Condecorare palam haereticis, quos esse videbat,  
Ante illud praeferre statim funalia mandans.
- 

### LII. De Hosii Cardinalis creatione: Ad Carolum tituli S. Praxedis Cardinalem Borromaeum.

**C**ui sacra religio cordi est, cui lucida vitae  
Integritas comes ingeniumque  
Artibus excultum pulchris, in rebus agendis  
Iudicium sapiens lepidique

- 5 Mores; ambitione licet sit purus ab omni,  
Promeritos satis ambit honores,  
Dumque cavere studet, fugientem sponte se-  
quuntur.

Accidit hoc Hosio nihil unquam

Speranti minus. Hic dum summa negotia tractat

- 10 Caesarea vigilaunter in aula  
Et fidei causam ingenti cum laude tuetur,  
Nomine requie Pius Pater illum  
Adscribit numero procerum, quos purpura vestit.  
Carole, tu celer ista tabellis

- 15 Missis significas Hosio, grataris honorem  
Iudicio patrui sapientis

Recte delatum, partum virtutibus amplis,  
Non precibus, veluti bene nosti.

Unde tibi erga illum grandis veneratio crevit,  
20 Te coluit merito ille vicissim,

Exemplar rarum pietatis: culmen honesti Et speculum veteris manifestum	25
Disciplinae. Te coluit studiosius, inquam, Pontificum decens et bonitatis	
Signifer, Ambrosii successor digne, maiorum Terror et edomitor vitiorum.	30
Hos titulos dabat ille tibi; tu, Carole, plures Accumulas tolerando labores	
Assiduos, cleri vitam moresque reformans, Proque tuo grege saepe periclis	
Obiiciens sacrum caput. O te numina servent 35 Incolumem atque, quod ipse tibi optas,	
Ut moriare Hosii morte, id tu non uisi tardis A Domino obtineas, precor, annis,	
Colligat ut maiores ex te ecclesia fructus, Tu moriens lucra plura reportes.	40

---

### LIII. De Cardinalatus altera recusatione.

Ad Iacobum Cardinalem Sabellum, Vice-  
protectorem Regni Poloniae.

**Q**uem non ambitio subdiderat levis,  
Romanaeve togae spes cito credula,  
Auditis Hosius pallet honoribus:  
Non recludit epistolam.

Sed se coniiciens in penetralia, 5  
Supplex ante sacram procubuit crucem.  
Totum se lacrymis et precibus dedit,  
Ad Christi fugiens opem.

- 10 His se muneribus iudicat imparem  
 Conscribensque graves tristis epistolas  
 Summum Pontificem flagitat, obsecrat,  
 Non se praegravet hoc iugo,
- Quod sufferre humeri non valeant sui.  
 Romae quos habuit praecipuos rogat  
 15 Fautores, veniam hanc Pontifice a Pio  
 Concedi obtineant sibi.
- Contra Caesar, ut hos accipiat, monet  
 Insignes titulos, utque bono gerat  
 Morem Pontifici, iudicioque se  
 20 Totum subiiciat suo.
- Cui parere alios vellet in omnibus,  
 Huic parere prior debeat ipsem.  
 Consultus quoque Rex censuit hoc idem,  
 Hoc et Sarmatiae patres.
- 25 Cursus luna sui fecerat integrum  
 Orbem, non Hosius purpureum decus  
 Acceptarat adhuc, cum nova iussio  
 Summi Pontificis Pii
- Roma proveniens ulterius vetat  
 30 Cunctari. Subiit sic onus inditum,  
 Consensum monitis dans etiam tuis,  
 O Iacobe Sabelle, quem
- Acri iudicio rebus in arduis  
 Pollentem colit urbs Romulidum, sibi  
 35 Quem prudens Hosius legerat arbitrum  
 Vitae tempus in ultimum.
- Laus haec magna tibi. Tu senis optimi  
 Condignis celebras laudibus inclytum  
 Nomen, nosque tuis usque favoribus  
 40 Illius memor excipis.
-

## LIV. De Cardinalatus acceptatione.

Ad Augustinum Valerium Cardinalem,  
Episcopum Veronensem.

**E**rrat stultitia, quisquis honoribus  
Captantis operam navat inutilem,  
Ad quos conciliandos  
Praeter velle tulit nibil.

Erraret levitate hic animi satis      5  
Abiecti, fugeret qui sibi gloriam  
Ex virtute paratam.  
Noster sic Hosius via

Incessit media, nec levis ambiens,  
Nec praeter solitum defugiens gradus      10  
Sublimes, ubi nutus  
Accessere Dei graves.

**E** Strigoniaci pontificis manu  
Tandem purpurei splendida pilei  
Ornamenta recepit,      15  
Ostro conspicuus novo.

Gratantur proceres redditia praemia  
Virtutum meritis, totaque personat  
Plausu Caesaris aula,  
Nullus tristitiae locus.      20

Quis non canitiem illam venerabilem  
Fulgentem roseo murice amaverit?  
Mentis convenit apte  
Candori ignea charitas,

Quam signat color hic. Illa Hosio comes      25  
Indivisa fuit, quod tibi cognitum,  
Augustine, fateris,  
Vitam scriptaque ponderans

Dilecti senis ac te merito tuo  
 Admirantis ob hanc quam integer obtines  
 30      Doctrinae gravitatem  
           Et zelum fidei sacrae.

Nunc quod non potuit cernere nos iuvat  
 Laetamurque datos hos tibi purpurae  
 Pelluentis honores,  
 35      Qui in te splendidius nitent.

---

## LV. De Concilii Tridentini continuatione perfecta.

Ad Nicolaum de Pelve Cardinalem,  
 Archiepiscopum Senensem.

**A**rs et multa dies ursos domat et feros leones,  
 Frenisque se praebent equi regendos.  
 Tempore consilioque reluctantum obstinationem  
 Quorundam et hic noster senex domavit,  
 5      Sacri concilii cupiebant qui impedire cursum,  
         Ob vana Protestantium et maligna  
         Figmenta atque dolos, Synodus qui denuo  
         volebant  
         Indictam, ut haec quae iam fuere lata  
         Decreta in nihilum caderent. Sed talium repressis  
 10     Conatibus perfecit unitatis  
         Observans Hosius, daret ut tandem suum Imperator  
         Assensum ad indictam prius Tridenti  
         Concilii rem continuandam, ceterique mox hunc  
         Sunt priucipes Germaniae sequuti  
 15     Atque oratores [se] huc mittere velle nuntiarunt.  
         Quod praestiterunt postmodum libenter,

Recte protulit ille, bonum qui nuntium rei omni  
Adferre dixit maximos honores.

Comprobat hoc Hosii legatio facta diligenter  
Bonoque multum publico salubris.

20

Quem vel tu quoque, praesul candide, protulisse  
fructus

Amplos recordaris patrum in decora  
Sede trecentorum medius charusque Varmiensi

Tuo Tridenti et charus hac in urbe,  
Purpureae socius pallae delectus et laboris

25

In abluenda sorde poenitentum.

Absenti censors simul exoptatus hoc in ipso  
Loco, per ipsum si stetisset, esses.

## LVI. De legatione ad Concilium Hosio data.

Ad Ioannem Antonium Fachinettum,  
Cardinalem SS. Quatuor Coronatorum.

**P**rudens consilium Dei,  
Fachinette, virorum regit inclytam  
Sortem insignium et utitur  
Illis in melius Sic Hosium a boni  
Aula Caesaris evocans,

5

Legatum celebris Concilii creat.

In quo Pontificis Pii

Quarti nomine, cum principibus viris  
Maiestate pari sibi

Iunctis consuleret de gravioribus

10

Rebus religionis et

His, ad publica quae commoda pertinent.

Magno Pontificem Pium

Usum iudicio quis neget? ardua

- 15 Commisisse negotia  
     Qui magno voluit providus Hosio  
     Ob prudentiam et ingeni  
     Miram dexteritatem fidei quoque  
     Tutandae insuperabilem
- 20 Fervorem atque piam solicitudinem,  
     Et laudabilibus libris  
     Et praestantibus actis bene proditam.  
     Quam tu, vir celeberrime,  
     Miratus fueras non mediocriter
- 25 Sacro in Concilio, frequens  
     Dum perstas Hosium visere, non minus  
     Acceptus lepido seni,  
     Absentemque salutas per epistolas,  
     Romae convenis et boni
- 30 Imples munus amici. Ille tua fruens  
     Consuetudine saepius  
     Ob dotes animi praecipuas fore  
     Te praedixit eo loco,  
     Quo nunc aspicimus, non temerarius
- 35 Augur; cernere quod tamen  
     Illi non licuit, Roma videt, tuis  
     Sustentata laboribus,  
     Salvo te cupiens laeta frui diu.
- 

## LVII. De Hosii Vienna discessu et Tridentum adventu.

Ad Stanislaum Rescium, Abbatem  
     Andreiovensem.

**R**ecta mens, Resci, neque damna famae  
     Sentiet laesae neque detrahentum  
     Voculis cedit propriaque sese  
         Laude tuetur.

- Noster excedens Hosius Vienna 5  
 Caesaris primos vocat e senatu,  
 Si quid aut ipse, aut aliqui suorum  
 Tunc famulorum
- Forsan errassent, ut id indicarent 10  
 Ocius coram petit. Obstupescit  
 Zeldius praestans Hosioque laudat  
 Integritatem.
- Non minus mores celebrans modestos  
 Omnium iunctos sibi quos habebat  
 Optimus princeps abeuntibusque 15  
 Fausta precatur.
- Sic bonum virtus bona fert odorem,  
 Dum fugit veras reprehensiones,  
 Executit falsas, operaque eadem  
 Praestat utrumque. 20
- Purus aula Caesaris ut recessit,  
 Caudidus vitae petit et Tridentum;  
 Tu viae Resci comes eloquare  
 Remque modumque.
- Ille pomparum fugiens tumultus, 25  
 Laudibus doctus solidis honores  
 Consequi portas veniens ad ipsas  
 Usque Tridenti
- Substitit. Visunt venientem amici,  
 Civitas festos agit apparatus, 30  
 Publicos praefixa dies ad actus  
 Ut veniebat,
- Noster auroram vigil antevertens,  
 Admodum parvo numero suorum  
 Septus adventu minus usitato 35  
 Sistitur urbi.

- 5      Templa festivus petit et roganti,  
       Cur sciens pompas fugeret, profatur:  
       Hic locus nos evocat ad laborem,  
               Non ad honores.
- 10     Hinc procul fastus, procul absit altum  
       Spiritus spirans. Venias at, o tu  
       Spiritus, tollens humiles in altum  
               Mitis Iesu.
- 15     Dirigas nostras, precor, actiones  
       Ad tuam laudem, simul ad salutem  
       Publicam: noster scopus hic laborum  
               Terminus esto.
- 

### **LVIII. De Hosii in Concilio Tridentino legatione.**

**Ad Scipionem Gonzagam, S. R. E.  
Cardinalem.**

**O** Mantuani gloria nominis,  
       Gonzaga, qualem tu iuvenis senem  
       Quondam salutabas Tridenti,  
       Mittimus hic tibi Varmensem.

- 5      Virtute praestans quem tuus Hercules  
       Amabat, ut scis, non mediocriter,  
       Fidumque collegam laboris  
       Omnibus officiis fovebat.
- 10     Illum libris qui pluribus editis  
       Tot haeresum damnavit ineptias,  
       Tot perfidorum vanitates  
       Monstra que tot calamo repressit.

En praesidentis munere fungitur  
 Supra trecentos Concilii patres,  
 Oraculis sententiarum  
 Sedis apostolicae tuetur

15

Auctoritatem, qua ferit haeresim  
 Simul profanis cum novitatibus,  
 Exuta totum quae pudorem  
 Nuda iacet rabiemque spargit.

20

Noctis profunda filia splendidum  
 Ecclesiae non fert iubar, improbi  
 Sed more vespertilionis  
 In tenebris latitans oberrat.

Antiquitati det novitas locum;  
 Pars cedat; orbis comprobat integer  
 Decreta et almas sanctiones,  
 Quas statuit veneranda patrum et

25

Concors voluntas, praeside Spiritu  
 Sancto. Quid isto tutius est duce?  
 Qui veritas est ipsa, qui fons  
 Iustitiae, basis et columna

30

Templi, iuventam more aquilae innovans  
 Morum, repurgans sordida, splendido  
 Ecclesiam velans amictu.  
 Concilii fuit hoc. Sed illos

35

Nostri senis tu, Scipio, noveras  
 Sanctos labores factaque dictaque,  
 Quas cum viris doctis piisque  
 Gessit amicitias vel usus,

40

Quanta sit erga hos munificentia  
 Mensaque tectoque excipiens, piae  
 Legationi charitatem  
 Consocians pius administer.

## LIX. De Hosii in patriam reditu.

Ad Ioannem Baptistam Castaneum  
Cardinalem S. Marcelli.

- C**oncilii iam finis adest, abeunt patres Tridento,  
Pacisque porgunt osculum vicissim.  
Quae facies rerum, quae mista doloribus voluptas,  
Baptista, nosti, cum vale ultimum tunc  
5 Proferres Hosio, qui te merito tuo eminentem  
Amabat, olim cardinem futurum  
Romae, quae patria est tua, civeque te bea-  
tior fit.  
Discedit invitusque te relinquit  
Et properat, quo dicit amor gregis, a Pioque  
Quarto  
10 Reportat amplas gratias, laboris  
Praemia. Carpit iter, Boreamque nivesque nil  
moratur,  
Quas horridus secum vehit December.  
Scilicet interno succensus ab igne charitatis  
Non sensit externos nivis rigores.  
15 Congreditur cum Caesare Conciliique narrat acta,  
Sibique successus bonos vicissim  
Gratantur pariterque modos, quibus exequi  
liceret  
Decreta sancti Spiritus, requirunt.  
Caesar amans Hosium complectitur, ille civitatem  
20 Posnaniam, altricem meam, subintrans  
Reddit se patriae. Lux o mihi fausta! quae  
videndi  
Illud iubar tam splendide coruscans  
Prima dedit, nullis quod noctibus opprimet  
unquam  
Oblivionis lividaeve mortis.

Occurrit redeunti Prussia tota. Varmiensis 25  
 Ecclesiae clerus triumphat omnis,  
 Incolumem sibi gaudet redditum episcopum  
 patremque,  
 Quo plurimis aegre carebat annis.

## LX. De regia gratiarum actione.

Ad Laurentium Grimalium Goslicium,  
 Episcopum Chelmensem. 08

**F**oris reversus vix Hosius suis  
 Frui Borussis cooperat, illico  
 Regem Sigismundum Polonos  
 Qui populos placide regebat,

Accedit implens officium, celer 5  
 Salutat: almi Concilii monet  
 Leges Tridentini sacratas  
 Sarmatiam recipi per omnem.

Sic filius complectitur optimum  
 Diuque non visum tenere patrem,  
 Princeps ut exceptit benigno  
 Pectore fronteque cardinalem. 10

Suo resurgens e solio ruit  
 Dulces in amplexus senis inclyti,  
 Prae gaudio dum non valeret  
 A lacrymis sibi temperare. 15

Felix adesto lux, ait, et mei  
 Praefulgidum regni decus, haud queo  
 Grates tuis praestantibus nunc  
 Reddere pro meritis decentes. 20

Scriptis habebas non satis hic tuis  
 Iuvare praesens commoda civium,  
 Ni profuisses et foris nunc  
 Catholico pius exul orbi,

25      Et nos et illustrans patriam simul,  
           Tollens Polonum nomen in aethera,  
           Per te quod aeternum vigebit,  
           Ter venerande senex, adesto!

30      Decreta laeti suscipimus patrum,  
           Fidemque avitam sponte tuebimur;  
           Nobis Deum tu oratione  
           Reddere propitium memento!

35      Prolata magno a principe laus velut  
           Est verior, fit splendidior, senex  
           Quam noster ipsis exprimebat,  
           Ut scio te meminisse, factis,

40      Talemque se monstrabat in omnibus,  
           Qualem senatorem esse tuis libris  
           Debere, Laurenti, docebas,  
           Dum Patavi studiis vacares.

45      Qualemve nuper factus episcopus,  
           In astruenda catholica fide  
           Nunc ipse (Christi perduelles  
           Nil trepidans) imitaris apte.

---

## LXI. De Calixtinorum Braunsbergen-sium expulsione.

Ad Georgium Radivilium, S. R. E. Cardinalem Episcopum Vilnensem.

**H**onores aeterni Patris ut quis est  
Amans, eo consuevit acerbius  
Ferre, innovari si quid usquam  
In fidei ratione sentit.

Dilecte princeps, quale sit hoc vides,  
Vilneusium dum solicitudinem  
Geris tuorum, ne venenis  
Haereseon pereant malignis,

Pulchre repraesentans Hosii satis  
Notos labores et vigilantiam.  
Videmus in te suscitatas  
Magnanimi senis actiones.

Ille ut peracto Concilio suas  
Oves revisit, reperit inter has  
Hoedos, novandis qui studebant  
Posthabita pietate rebus.

Utramque poscentes speciem sibi,  
Et panis et sacri calicis, dari,  
Mysterium dilectionis  
Scindere mente mala volentes.

Ad unitatis catholicae vetus  
Illos studebat ducere vinculum,  
Miraque tractans lenitate  
Vulnera sic animae levare

Tentabat. Ast se proficere ut nihil  
Vidit monendo, tum asperioribus  
Modis coactus coepit uti.  
Nec potuit tamen obstinatas

5

10

15

20

25

- 30      Mentes nimis compescere. Sic minas  
       Ipsis adimplet rebus et impios  
       E civitate excludit, arcet,  
       Deuegat his et aquas et igues.
- 35      Vocem sui pastoris ut audiant  
       Oves, ab exemplo docet, unitas  
       In ritibus sacris remansit,  
       Et novitas [fugit] heu maligna.
- 40      O splendidum gentis Lituanae decus,  
       Praesul Georgi, te similis quoque  
       Manet corona ob diligentem  
       Muneris officiique curam.
- 45      Senex amabat te iuvenem meus,  
       Romaeque sanctorum cineres pios  
       Caste colementem iudicabat  
       Te fidei columen futurum.

## LXII. De Societate Iesu in Poloniam introducta.

Ad Claudium Aquavivam, Societatis Iesu  
Praepositorum Generalem.

- D**octrinae pietas comes,  
       Prudens simplicitas et sapientia  
       Simplex, utraque charitas,  
       Vitae conveniens mundities bonae:  
 5      Vestri sunt propria ordinis  
       Ornamenta, Dei serve, tuique nunc

- Claudi, dux gregis optime.  
 Guttas undisoni quis citius maris,  
 Aut stellas numeret poli,  
 Quam fructus, tua quos inclyta dat seges      10  
 Coniungens homines Deo,  
 Peccato eripiens, sparsa per integrum  
 Orbem; sola Polonia  
 Tam magno fuerat priva diu bono.  
 Quod praestans Hosius prior      15  
 Invexit patriae. Praecipuos patres  
 Roma providus evocat,  
 Sedes attribuit magnanimus novas  
 In florente Borussia,  
 Praestantes operas in Domini volens      20  
 Sic conducere vineam,  
 Felix ut docuit consilii exitus.  
 Hinc Pultovia Vilnaque  
 Hinc Posnania, quae me genuit, bona  
 Sumpsit dona propaginis.      25  
 Hinc Cracovia nunc germina suscipit  
 In pulchris Plasii Thomae,  
 Dignus laude senex quas dedit aedibus.  
 Turgescent Hosii manu  
 Vites compositae, nullaque sentient      30  
 Damna ex ignibus invidi  
 Quos efflat Sathanae. Crescit honos Dei  
 Vestris in patribus diu;  
 Quod monstrant aliis, hoc opere exhibent.  
 Nec Toletus enim bonus,      35  
 Nec Bellarminius, sed neque Clavius,  
 Non et mille alii, recens  
 Quos aetas stupet et posterior colet,  
 Scriptores (Hosio patri  
 Dilecti penitus) post obitum quoque      40  
 Vobis deficient, novam  
 Prolem doctiferam semper habentibus.

## LXIII. De martyrii studio et peste profligata.

Ad Stanislaum Rescium, Abbatem  
Andreioviensem.

- S**ecretorum Hosii factorum conscie, Resci,  
Quid sibi flagra volunt, cur livida brachia virgis,  
Curque gerit multo conspersum sanguine tergum  
Se feriens Hosius? Lacrymis pius abstine, narra!
- 5 Purus amor Christi atque alienae cura salutis  
Martyrii studium ingens saepius accendebat  
Pectore in ardenti nostri senis. Unde tyrannus  
Defuerit votis licet, haud sibi defuit ipse,  
Quaevis summa pati pro Christi nomine promptus.
- 10 Cor desiderio carnemque doloribus ultro  
Afficiens propriam meritumque in sanguine  
quaerens  
Funibus expresso nodosis, impete crebro  
Virgineum quatiens corpus, languentia membra  
Et curis exhausta piis ad verbera nudans,
- 15 Admiscet suaves lacrymas sensumque doloris  
Exuit, erectam tollens ad sidera mentem,  
Divorum recolens certamina, sive coronas,  
Angelicos cives et gaudia certa piorum  
Clam sine teste madens lacrymis et sanguine  
volvit.
- 20 Saepe tamen sibi dum timet indulsisse, seniles  
Discutiens vires e multis advocat unum,  
Te Resci, qui percussoris munus obires.  
Se iubet ad tabulam manibus pedibusque ligari  
Verberibusque dolari membra per omnia corpus.
- 25 Horrens exequoris crudelia iussa coactus.  
Oscula sacro das raptim porrecta cruori  
Viventique fidem retinendo silentia servas.  
Felix saevitia et felicia vulnera, secum

Martyrii quae more novo compendia tradunt  
 Purpureumque decus meritis ingentibus ornant. 30  
 Exemplum senibus paucis imitabile, magnis  
 Principibus durum. Lucet tamen omnibus ampla  
 Producens animabus commoda, sive secundis  
 Sive etiam adversis rebus. Sic vota precantum  
 Suscipit ipse Deus, veluti susceperat olim 35  
 Placata aure preces Hosii, quo tempore fines  
 Cooperat atra lues passim vastare Borussos.  
 Exponens gravibus siquidem se sponte flagellis  
 Vir pius a populo divina flagella removit  
 Obtinuitque suis ovibus lacer ipse salutem. 40

---

## LXIV. De iurisdictionis ecclesiasticae defensione.

Ad Ioannem Andream Caligarium, Episcopum Britoniensem, supremum Sixti V. Pontificis Maximi Secretarium.

**D**igne Sixti Pontificis minister,  
 Paululum depone negotiorum  
 Quam geris molem atque Hosii pudicum  
 Vise theatrum.

Multa volvebant animo feroci 5  
 Christianae religionis hostes,  
 Ut sacerdotum violare possent  
 Iura statumque.

Sensit hoc prudens Hosius malignis  
 Et repugnando vehementer ausis 10  
 Totus exarsit, gravibus querelis  
 Omnia complet.

- 15 Sic maritalis fidei tenacem  
 Coniugem consors amat et tuetur,  
 Eripi dotem vetat et periclis  
 Se celer offert.
- 20 Romulae sedis supereminente  
 Nititur defendere dignitatem,  
 Nec timet constans furiisve cedit  
 Haereticorum,
- Qui sacerdotum penitus tribunal  
 Tollere et verti in nihilum volebant.  
 Obsttit noster rabiem furentum  
 Sustinet atque
- 25 Grande certamen subit. Impiorum  
 Coetus expelli patriis ab oris  
 Cardinalem postulat, exteror quod  
 Vexit honores.
- 30 Ne locum in magno teneat senatu  
 Nominis lux atque decus Poloni,  
 Barbarus tentat furor impedire  
 Diraque iactat
- 35 In virum convitia, sanctitatis  
 Laude cumprimis celebrem. Sed auras  
 In leves evanuit impiorum  
 Consiliorum
- Nimbus. Insignemque tulit triumphum  
 Candor et virtus Hosii, quod et Rex  
 Et senatores quoque promovebant  
 Civis amati
- 40 Dignitatem. Quo merito vel ipse  
 Testis, Andrea, es locuples, fidelem  
 Nuntium dum Gregorii gerebas  
 Dexter apud nos:

Charus illi, acceptus et omnibus, nunc  
Propter ipsum me quoque diligens, quod  
Concino vivens modo mortuique  
Carmina dicent.

---

### LXV. De censura censurae haereticorum.

Ad Antonium Mariam Abbatem  
Gratianum.

**C**ensoris aequi mittimus utilem  
Tibi libellum, praedite dotibus  
Pulcherrimis, o Gratiane:  
Munera nota tibi resume.

Quae saepe tecum auctor bene cognitus  
Communicabat, iudicio gravem  
Te diligens, illum vicissim  
Tu studiis paribus colebas.

Peior malis exorta parentibus,  
Proles ab inferno exierat lacu,  
Sanctissimae quae Trinitatis  
Tollere de medio volebat

Cultum. Parentes, quamlibet impii,  
Prolis nefandas non poterant pati  
Blasphemias scriptoque libro  
Concilia atque patres vetustos,

Qui Trinitatis suscipiunt fidem,  
Recensuere. At degeneres patrum  
Redarguunt insaniam, quod  
Maxima, quae iacerent in illos,

Ipsi priores tela nefario  
 Confregerant ausu. Laceros vocant  
 Pannos vetustatem, Lutherus  
 Cui prior apposuit manus, dum

25 Miscet profanis sacra. Quod hic sibi  
 Licere per fas credidit et nefas,  
 Ipsis neget quis non licere?  
 Discipuli superant magistros.

30 Occasionem hinc mox Hosius capit.  
 Deproeliantes haereticos simul  
 Convincit ipsorum libellis,  
 Ad fidei vocat unitatem.

35 Defendit aeternae pius acriter  
 Divinitatis gloriam et hostium  
 Semper colendae Trinitatis  
 Stultitiam manifestat orbi.

40 Orationis praesidio bona  
 Tunc maxime usum vidimus. Haec vias  
 Compendiosas ad seabrosa  
 Quaelibet aggredienda sternit.

## LXVI. De abstractione a sensibus.

Ad Sylvium Antonianum, Secretarium  
 Consistoriale.

**Q**uisquis supernos coelituum choros  
 Percepit internis semel auribus  
 Et Spiritus perfecta sensit  
 Gaudia laetitiamque mentis,

Non est quod auditu cupiat brevi,  
Suaves modos hic quaerere, vel vagis  
Concentibus vocum, vel arte  
Compositis modulis amandos.

Prudens subactis sensibus utitur,  
Quando voluptas interior monet.  
In carne vivens, carnis omnes  
Illecebras sapienter arcet.

O pulchre Sylvi, sic Hosius pater,  
In valle mundi dum manet infima,  
Coelestium sub corde amabat  
Praemia volveare gaudiorum.

Mos est apud nos principibus viris  
Condire mensas dulcibus organis,  
Vel tibiarum musicarum  
Multiplici recreare cantu.

Post lata sacrae fercula paginae  
Morem receptum noster episcopus  
Servabat. Interdum remotis  
Cum fidibus citharaque mensis

Interrogabat, num cecinisset ad  
Porrecta quidquam prandia musicus?  
Assueta mens coelestibus nil  
Dulce putat, nisi quo redundat

Ad gloriam Christi. Satis hoc tenes,  
Nostri senis dilecte nec infrequens  
Assecla conversationis,  
Conspicuus pietate, Sylvi!

Romae, superni aut ad iuga Tusculi  
Dum commoratur. Caesar et utinam,  
Sacrae vetustatis fidelis  
Scriptor, adesse adamasset una:

5

10

15

20

25

30

35

40

Nil defuisset, quominus in tribus  
 Vobis suaves coelituum choros  
 Audire posset quisquis alta  
 Diligit, inferiora temnit.

---

## LXVII. De Synodo Dioecesana Varmensi.

Ad Petrum Volski Duninum, Episcopum  
Plocensem.

5

**V**olsci pontificum decus,  
 Nostrae gloria patriae,  
 Dignam sollicitudinem  
 Excellentis episcopi,  
 Quam descripimus, accipe.

10

Postquam Concilio bonus  
 Sacro finis erat datus,  
 Ad charas rediens oves  
 Antistes Hosius statim  
 Omnes presbyteros vocat.

15

Indicta Synodo patrum  
 Profert in medium pias  
 Leges Concilii, simul  
 Ut serventur ab omnibus  
 Mandat puncta per omnia.

20

Festinat prior exequi,  
 Quae coetus sacer omnis in  
 Summo Concilio recens  
 Transacto statuit, Dei  
 Rectore et duce Spiritu.

Omni quo potuit modo  
 Praeclarus studuit senex  
 Morum tollere scandala  
 Vivendique licentiam  
 Laxatam nimio satis. 25

Successereque prospere  
 Conatus patris optimi.  
 Disciplina viget vetus,  
 Templis redditus est honos  
 Praefecti vigilantia. 30

Quantam tu, Petre, plurimum  
 Mirabare, sub ultimis  
 Oris Hesperiae manens  
 Et gratas per epistolas  
 Coniungens Hosium tibi. 35

### LXVIII. De proditione Regiomonti detecta.

Ad Ioannem Zamoiscium, Regni Poloniae  
 Cancellarium et supremum exercituum  
 Ducem.

**E**volat hinc animus. Te, praestantissime ductor,  
 Pondera nostrarum volventem maxima rerum  
 Consequitur, vigilantem Hosium tibi dedicat  
 usque

Pro patria vigilanti. Ille ut nascentia sensit  
 In regione Dicis vicini semina belli,  
 Protinus haec sapiens primis oppressit in herbis.  
 Hic ubi Prussiacum Mons regius aspicit aequor,  
 Perfida forte novi pars et scelerata senatus,

- Ambitione tumens aurique cupidine ducta,  
 10 Principis Alberti senio languentis honore,  
     Bis puerique Ducas titulo petulanter abusa,  
     Opprimere insontes, perversas condere leges,  
     Insignes probitate viros proscribere, census  
     Nobilium rapere, externo arces milite sensim  
 15 Complere et sibi totam subdere cooperat urbem.  
     Haec Hosio primis simul ac patuere susurris,  
     Officio celeri Regis transmittit ad aures,  
     Orans ut dubiis vellet succurrere rebus.  
     Admonet et proceres, vicina pericula defert.  
 20 Pars non credere, pars Hosium arbitratur inani  
     Perculsum trepidare metu, impellente senecta.  
     Rex monitis dedit ipse locum, e medioque senatu  
     Bis geminos heroas ad haec sedanda per amplio  
     Milite stipatos misit. Patuere malorum  
 25 Insidiae et fraudes. Nunc Snellius, Horstius  
     atque  
     Functius abscissa poenas cervice dedere.  
     Hic Hosii virtute quies est parta Borussis.  
     Quam tu, Zamoisci, noras fortissime, magno  
     Digne gener Stephano. Virtutis ad alta vicissim  
 30 Tendentem iuga te cognoverat ille, futurum  
     Insignem patriae civem praedixit. Id aetas  
     Nostra videt, scriptorum non moritura loquetur  
     Pagina; floreditque tuum per saecula nomen,  
     Dux invicta, pater patriae, defensor avitae  
 35 Libertatis, qui nulli superabilis ipsum  
     Te superas, parcens aliis, dare maxima regna  
     Pulchrius esse putans, quam sumere. Te duce  
         fortis  
     Sauromates sternit Moschos Scythicosque ma-  
         niplos  
     Proterit, et Thracas non amplius esse timendos,  
 40 Cum superum pia fata volent, notum dabit orbi.

## LXIX. De ecclesia Elbingensi recuperata.

Ad Ioannem Demetrium Solicovium,  
Archiepiscopum Leopoliensem.

**Q**uae cura, quae pars solicitudinis  
Cor non momordit rectum Hosii senis,  
Dilecte Demetri, sacrorum  
Perpetuo venerande praeses.

Dum tempa per vim raptā resumere  
Contendit Elbingensia, quae decem  
Totos (nefas ingens) per annos  
Haereticis suberant ministris.

Frequenter orans institit et monens  
Nunc voce, nunc pulchras per epistolas,  
Ut civitas haec veritati  
Catholicae reseraret aures

Suumque tandem vellet episcopum  
Audire de rebus fidei sacrae,  
In ceteris velut decenter  
Officio coleret fideli.

Postquam obstinatas flectere mollibus  
Mentes nequivit pacificus modis,  
Regis Sigismundi tribunal  
Auxiliumque potens petivit.

Mandata magni seria principis  
Hinc tu, Demetri, civibus illico  
Denuntias Christique causam  
Magnifica gravitate tractas.

5

10

15

20

25 Quid multa? Templum reddis episcopo,  
 Quod expiatum laetus ab impio  
 Cultu resumit; prisca floret  
 Religio, novitas recedit

Damnosa, fructum solicitudinis  
 30 Suae per amplum fert Hosius, piae  
 Legationis tu reportas  
 Conspicuam sine fine laudem,

Dilectus acceptusque Hosio, vel hinc,  
 Vel quod Deum praeter metuens nihil,  
 35 Artes malignas impiorum  
 Fronte petis validus reecta.

Diu superstes consiliis tuam  
 Precamur omnes, ut patriam iuves,  
 Et quae tibi debentur astra  
 40 Non adeas, nisi tardus aevo.

## LXX. De Actis Elbingensibus.

### Ad Canonicos et Capitulum Ecclesiae Cathedralis Varmiensis.

**T**empla Lutheranos postquam Elbingensia ritus  
 Labore nostri praesulis Deseruere palam,  
 Immisit Sathanas mendacem et fallere doctum  
 Sebastianum, qui malis Deciperet populum  
 5 Artibus, atque a catholico revocaret ovili  
 Et in sacerdotes pios Seditione potens  
 Plebem incenderet et sacris prohiberet adesse,  
 Minister atri Daemonis, Pernicies hominum.

Haec Hosio tolerare dolor. Perrexit in urbem.

Cum templa nemo accederet, Ipse Dei famulus 10  
Huc se demisit. Populum haereticumque  
senatum

Vocavit in praetorium, Questus et est graviter,  
Nuper apostolica quod religione relictam

Verbum recusarent Dei Auribus excipere  
A pastore suo. Sed verba profana Lutheri 15

Ex ore doctoris nequam Colligerent potius,  
Deceptique novis ruerent in tartara technis;

Salutis illis unicam Se reserare viam  
Utque sequi properent orare. At si sua dicta

Contemnerent, coram Deo coelitibusque piis 20  
Se protestari solenniter illico, quod pro

Episcopali munere Officioque suo  
Omnia fecisset, sibi quae facienda putaret

Ad pertrahendos ad Deum difficiles animos  
Illorum. Sua damna igitur, dum tempus adesset, 25

Et poenitendi occasio, Dispicerent moniti.  
Sed frustra surdis canitur. Lapis est lapis idem.

Sic obstinata haud exuunt Pectora duritiem.  
Nec mollire Hosius tamen haec cessaverat  
unquam,

Vestroque de coetu graves Mittere saepe viros 30  
Elbingam prudens multis consueverat annis,

Qui promoverent gloriam Catholicae fidei  
Atque sacerdotes a vi defendere possent

Plebis malignae et saxeis Nequitiae furiis.  
Sic et vos meritum ex Hosii pietate tulistis, 35

Et Varmensi ecclesiae Continuatūr honos.

## LXXI. De amore subditorum et bonorum ecclesiae cura.

Ad Iacobum Brzeznicum, Episcopum  
Ennensem et Suffraganeum Posnaniensem.

**I**am lustra sol percurrit aureus quater  
 Veditque tot rerum vices,  
 Quod tu sequutus praesulem Conarscium,  
 Ut Hosium cognosceres,  
 5 Iter Borussiam subire devium  
 Tibi putabas non grave.  
 Illuc videre tum fuit datum tibi  
 Humanitatem principis,  
 Qua subditos tractare sueverat suos.  
 10 Quos affluentes quum bonis  
 Multis videres, praedicabas plurimum  
 Senis boni modestiam,  
 Nil imperantis arduum et cupidini  
 Ponentis aureo modum.  
 15 Nil verius. Nam rara lenitas fuit  
 In subditos nostri senis.  
 Illis apertam semper esse ianuam  
 Volebat, horum comodis  
 Princeps benignus consulebat ut suis,  
 20 Et saepius plus quam suis,  
 Concreditam, sed non datam sibi sciens  
 Ecclesiae substantiam.  
 Quam debitum augere visus est modis  
 Et praediis et censibus,  
 25 Delubra cultu splendido revestiens,  
 Arces vetustas muniens,  
 Incendum tectis repellens aereis;  
 Ostendit omnino sibi  
 Curae fuisse rem satis domesticam,  
 30 Tot occupationibus

- Quamvis gravatus spiritalibus foret.  
 Quas nosse te non ambigo,  
 Iacobe, namque saepius tecum libens  
 Communicabat plurima  
 Per literas coramque, propter inclytas      35  
 Prudentiae dotes tuae,  
 Usumque rerum maximarum maximum  
 Vitaeque nomen optimae.  
 Fuisse dilectum integerrimo viro,  
 Iacobe, summus est honor.      40
- 

## LXXII. De praesentia Hosii in Comitiis Lublinensibus et Romana profectione.

Ad Andream Opalinski, Regni Marschal-  
 cum et Maioris Poloniae Capitaneum  
 Generalem.

**M**agne Polonorum praeses, quo vindice legum  
 Maiestas immota manet, manus altera Regis,  
 Per quam Sarmatici disponitur ordo senatus!  
**A**ccipe, quae tuus ille Hosius, spectante senatu,  
 Hic, ubi Lublinum stagnantibus haeret in undis,      5  
 Gesserat antiqua pro religione laborans.  
 Rex proceresque volens Prussos unire Polonis  
 Visus erat plures tentare modosque viasque.  
 Protulit hanc Hosius de templo pectoris unam:  
 Si, Rex magne, cupis, coeant ut foedere gentes      10  
 Ritibus assuetae variis, prius hoc age, concors  
 Religio atque fides animos ut iungat utrinque,  
 Qua sine nulla diu consistere foedera possunt.  
 Dissilient male nexa brevi. Fac templa profanis  
 Haeresibus foedata suo gaudere nitore,      15

- Puro corde Deum tecum venerentur in uno  
 Coetu catholico, peregrinaque dogmata linquant.  
 Talia dicentem placida Rex audiit aure,  
 Turba uovatorum mordaci dente fremebat.
- 20 Cumque senatores assurgere rite solerent  
 Conspicuo pietate seni, mansere sedentes  
 Haeretici, toto post terga pudore relicto.  
 Nec longe post hac contemptus iusta tulere  
 Supplicia, in stygia mersi post fata palude.
- 25 Rex Hosii dotes prudenti corde volutans,  
 Versatumque videns magnis in rebus agendis,  
 Mittere in Italiam statuit. Proiectior aetas  
 Immensas tolerare vias ne forte negaret,  
 Explorare prius iubet; annuit ille petenti,
- 30 Expositumque offert ad publica commoda pectus,  
 Nulos defugiens pro Regis amore labores.  
 Discedens illi praecepta salubria linquit,  
 Commendatque fidem priscam sacrique salutem  
 Ordinis, atque inter lacrymas et plurima verba
- 35 Vix potuit tacta sumnum valedicere dextra  
 Principis, et cursu celeri contendit ad urbem.

---

### LXXXIII. De incendio Brigensi.

Ad Senatum Populumque Posnaniensem.

**I**ncendiorum damna frequentium  
 Dum vos delendis excruciant modis,  
 Poenas, Deus quas irrogavit,  
 Ferre animo decet aequiore.

- 5 Quos diligit, punire solet, mala  
 Miscet secundis, ut patientium  
 Robur coronet, pro caducis  
 Dans bona, quae sine fine durant.

- Vestros dolores ut minuam meo,  
 Nostrum vicissim narro periculum,  
 Cum Varmensi quo premebar  
 Ausonias veniens ad oras. 10
- Bregantionem (nobile id oppidum  
 Quadorum) in ipso forte crepusculo,  
 Perveneramus; mox refecti  
 Membra damus placidae quieti. 15
- Noctis profundo cuncta silentio  
 Iam diffuebant, en subito strepens  
 Vulcanus absumebat aedes  
 Contiguas Hosio cubanti. 20
- Fit clamor ingens, curritur undique,  
 Vix seminudi educimus in forum  
 Late per ignes divagantes,  
 Attonitum novitate casus
- Herum. Quod essent haeretici incolae,  
 Convitiis in nos petulantius  
 Iactis ruebant, atque causam  
 Tam gravis excidii fuisse 25
- Nos clamitabant. Nec procul abfuit,  
 Quin caecus in nos irrueret furor  
 Gentis malignae, ni remotis  
 Dux populum tenuisset armis. 30
- Hic nos per arcis namque latentia  
 Postica dimisit vacuos metu.  
 Tota cremata civitate  
 Salva domus tamen illa mansit, 35
- In quam senex diverterat hic meus,  
 Miraculum ingens et memorabile,  
 Per quod deus servum fidelem  
 Conspicuo decoravit actu. 40

Nobis canendum semper et hoc tibi  
 Considerandum est, o mea civitas,  
 Ut Hosianam sanctitatem  
 Meque tui memorem esse noris.

## LXXIV. De Coadiutoris assumptione.

### Ad Martinum Cromerum, Episcopum Varmensem.

- P**ostquam contigerat lux Idus sexta Novembris,  
 Optato clausit veniendi fine laborem.  
 Romanamque senex Hosius solenniter urbem  
 Ingreditur vertitque hominum in se protinus ora.
- 5    Quintus amare Pius coepit, virtuteque tanti  
 Rite viri motus doctos accersit ad illum,  
 Iudicii gravitate sui ut mendacia crassa  
 Centumatorum cunctis ostendere possent.  
 Sed quoniam illud opus plures exposceret annos,
- 10    Varmia ne pastore diu viduata maneret,  
 Te sibi delegit, Martine, ex omnibus unum,  
 Muneris in tanti qui illum gravitate ferenda  
 Absentem praesens re consilioque iuvares,  
 Successor tandem illius post fata futurus.
- 15    Pontifici haec placuere Pio, facilemque petenti  
 Praebuit assensum, et pleno de more senatu  
 Successorem Hosii te, magne Cromere, tuas in  
 Laudes effusus sacro pronuntiat ore.  
 Sic desponsa Dei nutu tibi Varmia cessit,
- 20    Atque pie se tradidit haud invita regendam,  
 Iudicio confisa Hosii, qui religione  
 Sola persuasus charo praefecit ovili  
 Te rara bonitate virum sociumque laborum

- In patria ornanda et sacrorum iure tuendo.  
 Laus haec digna Hosio, tibi longe maximus omni 25  
 Tempore crescit honos, vestros celebrabit amores  
 Posteritas devota Deo. Te, maxime scriptor  
 Sauromatum historiae, haec praemia rite mane-  
 bant.
- Nunc Hosius maiora capit, sublatus ad astra  
 Aspicit exhilaratus teque tuosque labores, 30  
 Servandique gregis curam miratur et optat,  
 Tardior ut venias ad se, quo pluribus unus  
 Utilis esse queas, hic tempora longa moratus.  
 Felices populos, tua qui mandata capessunt  
 Et leni imperio flectuntur ad optima quaeque. 35  
 Invidiae strepitus sileant, rumpatur inanis  
 Livor. Virtutes Hosii doctique Cromeri  
 Fortunam parere sibi per saecula cogunt,  
 Inque beatorum sedes numerumque recepti  
 Semper honorati nostris aliisque manebunt. 40
- 

## LXXV. De Hosii studio in convertenda Suecia, Anglia, Saxoniam.

Ad Ptolomaicum Gallium, Cardinalem  
Comensem.

**P**tolomaee, Hosii qui fervida corda in adiuvanda  
 Fide vetusta expertus es frequenter,  
 Si vacat atque animum nunc non geris occu-  
 patiorem,  
 Haec pauca mecum dispice haud gravatim,  
 Quae sistant Hosium Romae tibi in urbe com-  
 morantem,  
 Quibusve tunc ecclesiam iuvarit 5

- Ille modis. Quum spernere dogmata **Saxones**  
**Lutheri,**  
 Figmenta Calvini magis probantes,  
 Coepissent, Hosius pulchram sibi sentiens adesse  
 10 Occasionem ad principis propinquum,  
 Albertum Bavaram, conscribit epistolam, rogans ut  
     Duceem moneret Saxonem, docentes  
 In ditione sua saltem toleraret audiendo  
     Nostros sacerdotes; sciens futurum,  
 15 Errores veluti fatuo reperisset in Luthero,  
     Sic non minus Calviniana posset  
     Somnia damnare et fidei veteris videre lumen.  
     Sic commeabant literae hinc et inde.  
 Iamque effulgebat spes pulchra rei optime  
     gerendae,  
 20 Ni tristis Albertum Atropos tulisset.  
 Consilio simili rebus quoque favit Anglicanis,  
     Et exulantes ob fidem benigno  
     Vultu suscipiens artes, quibus illa regna posset  
     Christo lucrari, congregebat omnes.  
 25 Sanderos et Alanos Godwelosque Schaeleosque  
     Ad se vocatos saepe consulebat.  
 Nec te praeterit, antistes bone, quot modis  
     salutem  
     Curare regis Sueciae studebat,  
 Ut se catholicae coniungeret ipse veritati,  
 30 Renuntians erroribus profanis.  
 Tum quae Gregorii suggesterit auribus peritis,  
     Quibus reginam viserit libellis,  
     Errantem per quos convertere posset haec  
         maritum.  
     Quae miserit munuscula hinc ab urbe,  
 35 Quosque sacerdotes a Praesule Maximo pro-  
         fectos  
     In Sueciam vidit, probe tenere  
     Te scio. Sic aliquid semper faciebat, unde posset  
         Salus iuvari proximi ruentis.

Saepius haec tecum conferre solebat ob probatam  
 Prudentiae laudem tuae et fidele  
 Consilium, quo multum rebus in arduis abundas, 40  
 Amoris et in se reflexionem.

---

## LXXVI. De Sigismundi Augusti Regis in urbe exequiis.

### Ad Annam Iagelloniam, Inclytam Poloniae Reginam.

**A**nna, Iagellonum stirpis clarissima proles,  
 Filia quae Regis, Regis soror inclyta, Regis  
 Coniunx, ac Regem complecteris ecce nepotem.  
 Gaudia funeribus quoniā permista tuorum  
 Fers animo moderato, non elata secundis,  
 Non rebus depressa malis, haec accipe, paucis 5  
 In mentem exequias tibi quae perfecta reducent,  
 Quas Hosio curante tuo moestissima fratri  
 Regali instructas per singula membra paratu,  
 Urbe in Romulea multum officiosa tulisti. 10  
 Est locus in media urbe, in quo Laurentius  
 aedem

Obtinet, a Damaso constructam praesule quondam.  
 Hanc Hosius pullo totam contexit amictu,  
 Perque girum facibus complevit et ordine pulchro  
 Diversas hominum species, qui lege tenentur 15  
 Mortali, pictis distinxit ubique tabellis;  
 In medio templi stabat pulcherrima moles,  
 Bissenis, operis magni, suffulta columnis,  
 Pyramides quinque altas quae sub tecta ferebant,  
 Per latera impletas lucenti singula cera. 20  
 Collocat et statuas Regis virtutibus aptas,  
 Deque Getis partos praeclara laude triumphos,  
 Cunctaque Sarmatici depicta insignia regni,

- Sceptraque defuncti et gladium diademaque Regis  
 25 Aurato imposuit feretro. Stant ordine circum  
 Atrati centum, funalia nigra gerentes.
- Parte alia, summam templi quae conspicit  
 aram,
- Cardinei assistunt proceres sanctusque senatus.  
 Non iam purpurea, lugubri veste dolorem  
 30 Monstrant, ex obitu tam clari principis haustum.  
 Cuncta sacerdotes donis altaria sacris  
 Accumulant et mystica liba merumque piandis  
 Criminibus donata ferunt; nec carmina desunt  
 Funeribus moestis et convenientia pompis.
- 35 Gesta Sigismundi facundo Rescius ore  
 Explicit, dotes et tanto principe dignas  
 Laudibus in coelum extulit et celeberrima regis  
 Nomina condignis decoravit honoribus apte.
- Nec tacuit, Regina, tuas quas conspicit orbis  
 40 Egregias laudes, animum pietatis amantem,  
 Robur in adversis, cor prudens, mite, benignum,  
 Virtutesque alias. Sic iustis rite peractis  
 Tu meritum praestans, Hosius praeclera fidelis  
 Obsequii retulit condigna praemia plausu.

## LXXVII. De Confoederationis haereticorum oppugnatione.

Ad Sigismundum Tertium Regem Poloniae.

- M**item Hosium quis fervor agit? quos torquet  
 in hostes,  
 Rex invicte, duplex iaculum fortasse requiris.  
 Expediam brevibus. Cautum fuit ante Polonis  
 Legibus, haereseon ne quis figmenta foveret:  
 5 Transgressor patrii poenas incurreret hostis.  
 Sanctio digna piis maioribus. Hanc malesuada

Haeresis evulsam cupiens inducere coepit  
 In tua regna novam, qua quisque impune valeret  
 Credere quod vellet, poena securus ab omni. 10  
 Sic animas damnosa libertate necabat,  
 Utque magis tutum hoc in saecula longa maneret,  
 Id sacramento Regem spondere volebat.  
 Sed proceres renuere pii et pars magna senatus.  
 Inter quos Hosius, licet absens, impia scriptis  
 Foedera damnavit libris, geminasque sagittas 15  
 Insignes et amore Dei patriaeque salute  
 Expediit celer adversosque immisit in hostes.  
 Addidit hinc animum multis, qui sancta sequuti  
 Consilia haeretico sese opposuere furor  
 Et veterum decreta patrum inviolata volebant. 20  
 Haereticam contra rabiem, quae nomine pulchro  
 Pax, dissidii flammarum nutrire studebat  
 Daemonis instinctu, qui scindere regna soleret  
 In sectas disjecta novas, qui frangere summi  
 Sceptra magistratus, gladii ius demere Regi 25  
 Molitur petulans: contraria posse coire  
 Persuadens, in corde hominis dum scilicet uno  
 Christo Antichristum studio coniungit inani,  
 Cumque Deo Belial lecto componit eodem.  
 Sed male conveniunt; Sathanas excedat, oportet. 30  
 Quae pax esse potest, ubi legum claustra piarum  
 Rumpuntur penitus, vinclisque coercita quondam  
 Et constricta manus dimittitur haeresis, angues  
 Errorum passim nostrum sparsura per orbem?  
 Haec ubi divisas studia in contraria mentes 35  
 Pellexit, pestem regnorum seditionem  
 Inducit, quam mox vastatio foeda sequetur,  
 Huic porro introitus, comitem sese dabit ultro.  
 Talia perscribens Hosius pellebat Erinnym  
 E patria infandam: Regemque patresque monebat, 40  
 Ne leges abolerent hac novitate vetustas.  
 Tu quoque, maxime Rex, Hosius quem noster  
 amavit,

- Scilicet ex fama notum, tibi scripta putato.  
 Te Deus in solium quoniam provexit avitum,  
 45 Ne patiare tibi sceptrum gladiumque maligno  
 Tolli foedere, sed Christi defendito honorem.  
 Ille tuum pariter tutabitur, ipsaque, pulsis  
 Disseidiis fidei, pax in tua regna redibit.
- 

### LXXVIII. De Maioris Poenitentiarii munere ad Hosium delato.

Ad Hippolytum Card. Aldobrandinum,  
Summum Poenitentiarium.

- H**aec, Aldobrandine, tibi mittenda putavi,  
 Quae muneri coniuncta sunt officioque tuo.  
 Cesserat e vivis frater tuus ille Ioannes,  
 Qui poenitentiarium gessit apostolicum.  
 5 Gregorium proceres de successore legendo  
 Multi fatigabant. Sed ille ad loca martyriis  
 Inlyta descendens, Domini sententia quae sit  
 Cognovit, et mox Sublacum mittit, ubi fugiens  
 Ignes urbanos Hosius tunc forte manebat  
 10 Illique detulit vacans officium. Obstupuit  
 Tale nihil sperans Hosius, gravitateque tanti  
 Deterritus periculi Pontificem petiit,  
 Hoc aliis deferret onus. Sibi namque sat esse  
 Negotii cum pluribus criminibus propriis.  
 15 Ille reluctantem munus perferre coegit,  
 Insignis et prudentiae iudicique tulit  
 Laudem. Namque viro huic secommisisse ferebat  
 Peccata tollendi facultatem aliena, suis  
 Qui minimum premeretur. Pontificis fuit istud  
 20 De Varmensi maximum praesule iudicium.

Iure quidem, Hippolyte. Hoc etenim conspeximus ipsi,

Quantum vel a parvis remotus vitiis fuerit.

Asperius tamen haec in se punire solebat,

In poenitentes ceteros mitia corda gerens.

Flentibus impendit lacrymas, e faucibus Orci 25

Studebat errantes modis omnibus eruere.

Dulcibus alloquii bos solabatur, apertas

Illis iubebat in suis aedibus esse fores.

Audiit admissos celer, in dubiisque peritos

Rebus solebat saepius consuluisse viros. 30

Inde tribunalis patres reverenter habere

Consuerat, illis plurimum, nil tribuendo sibi.

Artibus his sua munia sufficienter obibat,

Subinde quas et tu sequi diceris, Hippolyte,

Digne Hosii successor. Qui velut officiose 35

Plerumque consuesti Deo conciliare homines,

Sic et Sauromatum missus legatus in oras,

Dissentientes principum coucilians animos,

Aeternam laudem meritumque insigne tulisti,

Quod semper acceptum tibi patria nostra feret. 40

## LXXIX. De Hospitali Polonorum Romae instituto.

### Ad Virgilium Crescentium, Patricium Romanum.

**R**

omane Crescenti, veterum bonus

Sanguis parentum, cui pietas dedit

Cor mite, plenum charitatis,

Compatiens miseris egenis.

Scis Hospitalis prima Polonici

5

In urbe fundamenta Hosio duce

Fuisse iacta: et pars laboris

Magna tibi referenda restat.

- Mecum tamen nunc haec eadem legas,  
 Nobis voluptas est Hosii pia  
     Referre facta, et taedii nil  
     Quae bona sunt repetita portant.
- Iam quinques quum nos tepefecerat  
     Annos recurrens sol, veniam reis  
 Secum reducens, sub quieta  
     Gregorii moderatione:
- Complebat urbem pulveris in modum  
     Frequens peregrinus, cupide suam  
     Quaerens salutem, cui receptum  
     Natio quaeque suum exhibebat.
- Sedes Polonis advenientibus  
     Nondum patebat. Tu tamen in tuas  
     Aedes receptos nutriebas,  
     Coelica lucra tibi parando.
- Tunc noster orat Pontifice senex,  
     Daret Polonis pauperibus locum.  
     Mox ille Salvatoris aedem  
     Deputat ad veteres tabernas.
- Quondam Sabello quae sub Honorio  
     Constructa nunc formam obtinuit novam;  
     Huc ille collectos ad unum  
     Sauromatas inopes reduxit
- Novumque lassis hospitium dedit  
     Et more tractavit patris optimi.  
 Quod morte praeventus nequivit  
     Perficere, illius hos in usus
- Aurum relictum novimus ubere  
     Supplesse sumptu. Nec pia defuit  
     Regina coeptis Anna sacris,  
     Sanguine proveniens Jagelli.

Pluresque devoti proceres idem  
 Fecere. Sic nos aedificavimus  
 Cum Rescio te consulente  
 Hospitiumque novumque templum.

---

**LXXX. De Hosio ad reliquias divae  
 Cleridoniae Sublaci sanato.**

Ad Marcum Antonium Cardinalem  
 Columnam.

**M**arce, Columnarum gentis decus et senator  
 orbis,

Pallaeque Romanae iubar coruscum,  
 Haec perfecta Hosium sistent tibi Sublaci ma-  
 nentem

Tibique vera charitate iunctum,  
 Quem colere es visus pariter ratione singulari, 5

Plures per annos hospitem benigno

Vultu suscipiens. Is dum sacra Cleridoniae ossa  
 Te praemonente ex aspero videret

Monte reportari ad vicina Scholasticae beatae  
 Templa et recondi in nobili sacello,

10

Virginis huiusce obtinuit sibi brachium seorsim  
 Dari, quod in divi specu sacrata

Promisit Benedicti se positurum, ut et fidei  
 Complevit affectu nihil moratus.

Labitur interea in morbum nimium, gravem et  
 molestum,

15

Viresque valde sensit imminutas.

Coepimus instantis trepidare metu periculi, nec  
 Morbi fugandi spes dabatur ulla.

Tum monachi precibus pulsare Deum manumque  
 sacram

Transferre Cleridoniae decenter

20

Constituunt. Hosius collaudat et obviam stu-  
debat

Prodire frustra, lassus in propinquum  
Se iubet adduci templum. Simul ut ferens  
sacerdos

Pignus sacratum apparuit, canendo

**25** Devotum Ambrosii hymnum, me vocat atque  
sic profatur:

Deo recentes gratias agamus,

Qui mihi per merita huius virginis ecce sani-  
tatem

Concessit optatam, recessit a me

Debilis omnis. Tunc laudibus illico peractis

**30** Mecum per hortos solus ambulavit,  
In lacrymas dulces resolutus, brachiumque  
sacrum

Decenter argento tegi iubet, quod

Praestitimus celeres sacroque reponimus sub  
antro

Munus refulgens digniore cultu.

**35** Quod pia posteritas mirabitur, in suisque sanctis  
Semper Deum laudabit immorantem.

## LXXXI. De Cardinalatus Hosii titulis.

Ad Caesarem Baronium.

**A**nnales studio dum vigili sacros  
In lucem e tenebris solicitus vocas,  
Immensique laboris  
Pertractas opus utile,

**5** Caesar, pauca legas, quae tibi mittimus.  
Antiquos referunt hos titulos, meus  
Quos Romae retinebat  
Pacato imperio senex,

- Devote solitus visere martyrum  
 Sanctorum tumulos, ipse velut facis, 10  
 Praebens oscula sacris  
 Et iustas lacrymas locis.
- Postquam cardineo tempora pileo  
 Contexit, veterem Pancratii domum,  
 Multis nobilitatam 15  
 Divum reliquiis, licet
- Absens, obtinuit. Deinde sub ultimum  
 Tempus Concilii rexit, amabilis  
 Laurenti, tua templa  
 Perna paneque cognita. 20
- Scirleti precibus dans validum locum  
 Suscepit titulum, qui pia militis  
 Servavit Theodori  
 Sub Christo duce nomina.
- Romam perveniens mox tenuit sacrum 25  
 Templum virginis et martyris inclytæ  
 Priscae, quae truculentis  
 Est obiecta leonibus.
- Hinc Anastasiae templa, Palatum  
 Quae cinxere vetus, percoluit; sacram 30  
 Mox Clementis ad aedem  
 Raptus praefuit huic diu.
- Postquam Exquiliis impositas adit  
 Aedes, vincula quae sacra Petri tenent.  
 Dehinc insigne Mariae  
 Templum trans Tiberim situm 35
- Suscepit, retinens illud in ultima  
 Vitæ tempora, ubi post tumulum sibi  
 Delegit moriturus,  
 In quo compositus iacet. 40

Hic ille exequiis utitur annuis,  
 Quas illi Ordo sacer sponte sua facit,  
 Augusti quoties lux  
 Cursum septima perficit.

---

### LXXXII. De senectute Hosii.

**A**d Iacobum Treterum patrem.

**L**audande multis nominibus pater,  
 Colende nobis perpetuo senex,  
 Magnum senectutis levamen  
 Inspicias Hosii senectam

5 Illius, ad quem me iuvenem bono  
 Deduxeras non impiger omine,  
 Cum literis nostri Micani,  
 Qui mihi non dubie favebat.

10 Complebat annus iam decimum suum  
 Cursus, relicto quod patrio solo  
 In publico Romae theatro  
 Non sine laude Hosius manebat.

15 Annis duobus quindecimum auxerat  
 Lustrum, senectutem peragens bonam,  
 Non sordidam, non praegravatam  
 Membra per exteriora morbis.

20 Sed languor aetati comes additus  
 Sensim per artus progrediens brevis  
 Vitae admonebat iam propinquum  
 Terminum adesse docens laborum.

Intendit ut cursum vehementius  
 Metae propinquans vincere qui cupit,  
 Sic ipse virtutum per amplis  
 Passibus ulteriora quaerens

- Tendebat ad coeli patriam libens, 25  
 Hanc ambiebat scilicet unicum.  
 Mundana spernens et caduca  
 Corpore se cupiebat isto
- Solvi, sepulchri nil foveam timens;  
 Haec namque transfert ad requiem bonos. 30  
 Aetatis excellenter actae  
 Conscius excipiebat horam
- Laetus supremam; nos senis optimi  
 (Quod gloriae laudisque mihi loco  
 Summae fatebor) prouentis 35  
 Molle latus famulante dextra
- Suffulciebamus. Cuperem, pater  
 Amate, sic fulcire tuum; vetat  
 Urbana sedes, hoc in uno  
 Consiliis inimica nostris. 40
- Felix senectam ducito candidam,  
 Permitte Christo cetera, qui simul  
 Ut iusserit, nec tu meo, nec  
 Ipse tuo prohibebor ore.

---

### LXXXIII. De viatico Hosii et dispositione domus.

Ad Andream Patricium Striceconem,  
 Episcopum Vendensem.

**I**nter Sauromatas Latiae decus addite linguae,  
 Andrea, atque Hosio multum dilecte, legenda  
 Haec tibi porrigimus, quae languens atque pro-  
 pinquus

- Morti magnanimo et praesenti pectore gessit.  
 5 Romanos, medici persuasu, dum cavet aestus  
 Inque suburbano captat loca amoena recessu,  
 Fors matutinis humentes roribus auras  
 Hausit et immodicum admittens in viscera frigus  
 Parva prius, sed mox extrema incommoda sensit.  
 10 Nam laxata nimis pravis humoribus alvus  
 Plus satis exhaustas annoso in corpore vires  
 Imminuit, somni atque cibi omnem sustulit usum.  
 Lux aderat Marthae, quae Christum scribitur  
 olim  
 Hospitio excepisse suo. Nos talibus ipse  
 15 Alloquitur senior: Christum pia Martha recepit  
 Aedibus et mensa, cupio tanti hospitis ipse  
 Prosperitate frui. Venias, o Christe, tuoque  
 Hanc animam adventu recrea, quae pondere multo  
 Peccati premitur, sine te nec tuta resurget.  
 20 Inde sacerdotem vocat et delicta fatetur,  
 Expiat et lacrymis et praeparat atria Christo  
 Munda propinquanti. Sacris tunc rite peractis  
 Pulvillo removet, gemino dehinc poplite flexo  
 In nuda procumbit humo, veneratur Iesum,  
 25 Corporis inque sui admittit penetralia gaudens.  
 Christum hominemque Deumque albo sub pane  
 latentem  
 Se integrum sumpsisse refert, fideique receptum  
 Catholicae morem adstruit et vesana recentum  
 Haereticorum damnat somnia, quae prius ipse  
 30 Conscriptis gravibus libris damnaverat olim.  
 Hospitio postquam Christum suscepit amico,  
 Semper compuncti cordis dulcedine pavit.  
 Nil nisi coelestem patriam sedesque piorum  
 Suspiciens animo misero se corpore solvi  
 35 Orabat, morbi saevos tolerando dolores  
 Usque memor pro se patientis in arbore Christi.  
 Liberius tamen ut coelestibus addere posset  
 Mentem, terrenis voluit valedicere primum.

In tabulas igitur sua testamenta reponit  
 Et bona distribuit templis bene parta sacratis, 40  
 Pro meritis famulorum quemque remunerat atque  
 Deputat haeredes et se ad coelestia vertit.

---

## LXXXIV. De transitu Cardinalis Hosii.

Ad Stanislaum Rescium, Abbatem  
 Andreioviensem.

**T**u tamen interea, decimus licet annus abivit,  
 Flere Hosii mortem non cessas, optime Resci,  
 Me tibi do socium, lacrymis certemus uterque  
 Temporis illius summum renovare dolorem,  
 Quo pater hinc migrans nos in moerore reliquit. 5  
 Festa dies aderat divaeque sacra Mariae,  
 Quando nives medio Romae dimisit in aestu.  
 Languidus e morbo senior prope vidit adesse  
 Extremam cum morte diem, mox nobile pectus  
 Praeparat ad luctam meque advocat, inde sa- 10  
 cratos

Alternis vicibus mecum pronuntiat hymnos  
 Et gemitu lacrymisque Deum in sua vota  
 perurget,

Deinde sacrosanctae mysteria coelica missae  
 Audit et angelicam puro capit ore synaxim.  
 Hinc oleo per te sacro ungitur, ad nova miles 15  
 Bella profecturus: fidei scuto inclyta munit  
 Pectora victricemque crucem fronti imprimit  
 almae.

Inde thoro adstantes nos et moerore gravatos  
 Solatur dextramque manum exhibit omnibus  
 atque

Fausta crucis virtute precatur singula cunctis. 20  
 Qui nobis animus, quo saucia corda dolore,

Qui gemitus, suspiria, quam miserabilis, eheu!  
 Tunc fuerit rerum facies, charissime Resci,  
 Sensimus ah! nimium, sensus nec destinet un-  
 quam.

- 25 Ultima temporis extremi iam venerat hora,  
 Inque senis morituri spiritus haeserat ore;  
 Historiam recitare iubet morientis Iesu,  
 Lectaque perpendens totus lacrymando madescit  
 Effigiemque crucis strictis amplectitur ulnis,  
 30 Oscula porrectae libat, dextraque tenendo  
 Accensum lumen, dicendo novissima verba,  
 Commendans animam Christo placide expiravit.  
 Ipse ego clausi flens oculos in morte cadentes,  
 Moestus et officium supremo fine peregi.  
 35 Personat ingenti domus infaustissima luctu,  
 Confluit officio vicinia tota frequenti,  
 Vestibus ornatum sacris exsangue cadaver  
 Spectandum populo proponimus, indeque templo  
 Illatum exequiis flentes decoramus honestis.  
 40 Lecticae impositum tandem sub nocte silenti  
 Deferimus Romam sacraque locamus in aede.
- 

## LXXXV. De exequiis Hosii et piorum luctu.

Ad Canonicos et Capitulum sanctae  
Mariae trans Tiberim.

- P**ostquam mors Hosii fuerat vulgata per urbem,  
 Omnia complevit moerore palatia iusto,  
 Gregoriusque pater lacrymis ita fatur obortis:  
 „Vir doctus, nulli vera pietate secundus,  
 5 Cardineique chori decus, huius gloria sedis  
 Occubuit, nobis luctum, sibi certa paravit  
 Gaudia, pro meritis coeli perductus in arces,

Hic ubi iam placare Deum nobis studet. At vos,  
O famuli, vestro solennia iusta patrono  
Ferte citi corpusque pio mandate sepulchro.“ 10

Pontificis mandata impigre explemus et urna  
Compositum corpus redolens et balsama sacro  
Inferimus templo, quod transtiberina dicatum  
Christiparae regio centum sublime columnis  
Marmoreis aurique tholo spectabile servat. 15

Quo memoranda stylo vestra est mihi, nescio,  
fratres

Insignis pietas? Hosii quos nobile funus  
Vidimus officio celebr(i decor)asse et vera doloris  
Signa dedisse palam. Vos ad laquearia molem  
Protensam et facibus multis hinc inde refertam 20  
Struxistis celeres et lamentabile carmen  
Ad sacra cantari curastis, vosque cadaver  
Dilectum propriis humeris ad busta tulistis  
Templaque complestis moerore ingentia magno.  
At nos eloquio tenues insignia facta 25  
Praesulis eximii timido celebravimus ore.  
Hinc etiam erga Hosium vestra est propensio  
nota:

Exequias illi celebrandas sponte quotannis,  
Quando recurrit lux Augsti septima mensis,  
Unanimi sanxitis per suffragia lege, 30  
Quam longo firmatam ipsi nos cernimus usu.  
Res memoranda satis nec nostro cognita saeclo,  
Quae meritum vobis, Hosio solatia praestat.  
Qui veluti in terris vos patris ad instar amavit,  
In coelis precibus nunc sublevat atque retorquet 35  
In se, quem mihi defertis constanter amorem.  
Vos ego, dum vivam, fratres, venerabor et  
omne hoc,  
Quidquid erit post fata mei, vestrum esse probabo.

## LXXXVI. Epitaphium.

**S**TANISLAO. HOSIO. POLONO. S. R. E  
 PRAESB. CARD. VARMIEN.  
 EP. MAIORI. PAENIT. VITAE. SANCTI-  
 TATE. ERVDITIONIS  
 ET. ELOQVENTIAE. GLORIA. CELEBER-  
 RIMO  
 CATHOLICAE. FIDEI. ACERR. PROPG-  
 NATORI  
 5 QVI. CVM. ANTIQVAE. PROBITATIS. ET.  
 EPISCOP. VIGILANTIAE  
 PRESTANTIAM. IN. HVAMILITATE. CHA-  
 RITATE. CASTITATE. BENE-  
 FICENTIA. EXPRESSISSET. HERET. SEC-  
 TAS. SCRIPTIS. ET. CONSILIIS  
 SAPIENTISS. FERVENTER. OPVGNASSET.  
 MVLTOS. AB. ERRORIB.  
 REVOCASSET GRAVISSQUE. LEGATIO-  
 NIB. PRO. PACE ECCL. DEI  
 10 CVM. APVD. CAROLVM. V. ET. FERD.  
 CES. TVM. PRECIPVE. IN  
 S. CONC. TRID. PII. IIII. PONT. NOMINE.  
 FELICISS. PERFVNCTVS  
 CHRISTIANE. REIPVB. PLVRIMVM. PRO-  
 FVISSET  
 OMNIVM. VIRTVTVM. LAVDE. ET. EXEM-  
 PLIS. AD. IMITAN-  
 DVM. ABVNDANS. OBDORMIVIT. IN. DO-  
 MINO. NONIS. AVG.  
 15 ANNO SALVTIS. M. D. LXXIX. AETATIS.  
 SVAE. LXXVI.  
 STANISLAVS. PATRVO. ET. STAN. RES-  
 CIVS. PATRONO. BENEFICIENTIIS. EXE-  
 CVT. TEST. POS.\*)

\*) Breve quoddam epitaphium etiam Treterus noster Hosio suo  
composuit in elogiis suis Episcoporum Varmiensium, ubi canit:

### LXXXVII. Religio.

**I**lla ego militiae tolerans ecclesia pondus,  
Quae duce sub Christo signa beata gero,  
Militis egregii moestissima defleo mortem,  
Cui fuerat populi maxima cura mei.  
Ille meos hostes iustis compescuit armis, 5  
Nunc quoque defunctum gens inimica timet.  
**I** procul impietas; Hosius post funera vivit,  
Bella etiam pro me raptus in astra gerit.  
Libris nervus inest, qualis linguae fuit olim:  
Catholieae fidei suppeditabit opem. 10

### LXXXVIII. Charitas.

**Q**uem meus urit amor, gemino nutritus ab igne,  
Hunc non offendet frigida mortis hiems.  
Sic Hosii cineres etiam post fata calescunt,  
Emicat e scriptis vivida flamma suis,  
Pectora quae Christi casto succendit amore, 5  
Desidiaque premi languidiore vetat.  
Quo magis est Hosii dilectio cognita<sup>t</sup> in omnes,  
Hoc plures tanti morte dolete viri.  
Immo dolete minus; nam coelica praemia captat,  
Et quem dilexit possidet ecce Deum. 10

---

Scripta Hosii mundus veneratur, gesta stupescit;  
Catholicus sequitur, proterit haereticus.  
Concilii praeses, perfectus episcopus, urbis  
Gloria, dux fidei, flos patriae, orbis amor.

## LXXXIX. Castitas.

**H**as Hosii tumulo violas et lilia porto,  
Sertaque de niveis arte parata rosis,  
Et quae victori debentur praemia, palmam,  
Quod validas carnis fregerit illecebras.

- 5 O venerande senex, o custos alme pudoris  
Virginei, casto haec accipe dona sinu.  
Integritas tua gratos semper fundat odores  
Atque beatum te tempus in omne feret.  
Pugna frequens ineunda his, qui mea castra  
sequuntur,
- 10 Vincere rarum est, laus hinc tua maior erit.
- 

## XC. Eruditio.

**D**ulcis alumne meus, qui non nisi scripta librosque  
Tractabas docta nocte dieque manu,  
Tandem aevo defessus in otia tuta recedens,  
E coelis hominum vota caduca vides.

- 5 Felix cui data iam requies promissa piis, qui  
Instituunt multos iustitiamque docent.  
Doctrinae monumenta tuae mirabitur orbis,  
Non poterunt tenebris invidiave tegi.  
Nam tua resplendens late sine crimine vita  
10 Vitae illis seriem protrahet assiduam.
- 

## XCI. Humilitas.

**E**sse humilem abiepto non est laus magna; sed illi  
Esse humilem, culmen si quis honoris adit,  
Haec demum virtus rara est, quam liber ab omni  
Fastu possedit noster in orbe senex,

Nullos quaeſivit, nullos ambivit honores, 5  
 Sponte ſibi oblatis vidi et obſtupuit.  
 Nunc iam maiores coelo ſuſcepit in alto,  
 Scandere quo nunquam corda ſuperba valent.  
 Aspice quanta humilis mens commoda procreet?  
 ambit  
 Illa nihil prudens, omnia conſequitur. 10

---

### XCII. Prudentia.

**P**rudens simplicitas ſimul et prudentia ſimplex  
 Sunt comites Hosii; fraud, dolus omnis abeft.  
 Si quae eſt abſque Deo prudentia, calliditas eſt,  
 Simplicitasque locum rusticitatis habet.  
 Hic meus obtinuit medium, referens ad Iesum, 5  
 Quae dicenda ſibi vel facienda forent.  
 Ut plerique ſoleant: „non haec ventura putaram“  
 Auditus non eſt dicere. Cauſa patet.  
 Cum gravitate piam retinendo simplicitatem  
 Asſequitur magni nomen ubique viri. 10

---

### XCIII. Sinceritas.

**I**lamne Hosii pia lingua tacet? Mors improba tanto  
 Cur properasti nos exſpoliare bono?  
 Vera loqui nunc quisque timet. Non ille timebat  
 Perspicuum pectus, ſolis ad instar habens.  
 Pro ſacris, patria, ut tempusque locusque monebat, 5  
 Semper apertum cor gessim et ora simul.  
 Quaeque notanda eſſent, cum libertate notabat,  
 Iuſti censoris praefit officium.  
 Nec tamen hunc odium, potius referebat amorem  
 Mirum, virtutis candor id obtinuit. 10

---

## XCIV. Gravitas.

**H**

- Hic sacri patriique iacet laus prima senatus.  
 Heu tegit ingentem quam brevis urna virum!  
 Illum, quem gravibus dictis sua sensa loquentem  
     Ampla corona patrum vix potuit capere.  
 5    Quem placidi mores inista gravitate verendum  
     Reddiderant, levitas cui mala displicuit.  
   Nunc iam mole sua pressus sub pulvere dormit,  
     Ne mundum videat, dum levitate perit.  
   Non tulit instabilem constantia firma sodalem,  
 10   Migrat, ubi cives se scit habere pares.
- 

## XCV. Humanitas.

**C**

- omis et urbanus, cunctis affabilis idem,  
 Hic situs est Hosius; spargito, quaeso, rosas.  
 Princeps humanus tractari humaniter optat;  
     Huic tumulo fragrans convenit omnis odor.  
 5    Frons hilaris iucundaque consuetudo bonorum  
     Suaviter hunc nostrum detinuere senem.  
   Nullus ab hoc vultu tristi confusus abivit,  
     Perfacilem precibus nam dabat ille locum.  
   Plena salutantum domus. At magis illa patebat  
 10   Doctis, quos Christi conciliabat amor.
- 

## XCVI. Hospitalitas.

**M**

- Mortem Hosii deflete, gravis quos urget egestas  
 Queisque peregrino contigit esse solo.  
 Ecce parens vester terris excessit avaris,  
     Quae bona sub caeco carcere vestra tenent.  
 5    In lucem ille dabat, nunquam sine teste novoque  
     Hospite mensas est visus adire suas.

Addidit, ut potuit, moestis solatia, Christi  
 Obque fidem pulsis praestitit unus opem,  
 Noverat utque Deum cunctis superesse parentem,  
 Sic fratrem duxit quemlibet esse suum. 10

---

### XCVII. Benefcentia.

**C**opia, quae nostris promanat divite cornu,  
 Ex Hosii larga profluit usque manu.  
 Non aurum tamen, ast animum tribuentis amicum  
 Spectans divitias experiare suas.  
 Munere cum parvo praesto fuit alma voluntas; 5  
 Hinc illi semper, quod dare posset, erat.  
 Externis pariterque tuis benefecit, in omnes  
 Aequa propensus distribuebat opes.  
 Inde sibi nomen plane immortale paravit,  
 Quod nulli nocuit, profuit innumeris. 10

---

### XCVIII. Exemplaritas.

**V**ivendi speculum, mundi lux alma, magister  
 Morum, dux fidei, malleus haereseon  
 Hic Hosius post fata cubat: da thura, viator,  
 Et cineres lacrymis usque rigato piis.  
 Occupuit splendor, tenebris involvitur orbis, 5  
 Exemplique boni vix nitor ullus adest.  
 Virtutum numerosa cohors Hosio adstat, ab illo  
 Quod magis expediat discere quisque potest.  
 Huc properet quicunque brevi cupit esse beatus,  
 Plana per exemplum est ad bona cuncta via. 10

---

### XCIX. Praemia.

**V**ir rectus Dominumque timens, licet absit ab  
 omni  
 Ambitione, sibi praemia digna parat.

## 120 Theatrum Virtutum St. Hosii XCIX-C.

- Virtus quippe sibi reserare palatia regum  
 Fortunamque bonam fingere sola potest;
- 5 Illa Hosio mitrasque dedit rubeosque galeros,  
 Illaque maguificas, quas stupet orbis, opes;  
 Contulit illa decus, nomen famamque perennem  
 Inter honoratos constituitque patres.
- Magna quidem sunt haec, longe maiora recepit,
- 10 Inter coelicolas dum loca clara tenet.  
 Iste scopus fuit illi metaque certa laborum,  
 Hic operum finis summus et unus erat.  
 Fortunate senex, tot tantaque praemia sacrum  
 Cuius praecingunt hic et ubique caput,
- 15 Securus portum retine. Non livor ineptus,  
 Rite quod in te nunc carpere possit, habet.  
 Vive Deo, nostri curam non proiice, fracta  
 Dum vehimur mundi per freta salsa rate.
- 

## C. Conclusio.

- N**on tibi marmoreis monumenta innixa columnis  
 Nec statuo artificis signa peracta manu,  
 Ipse tibi virtute tua maiora locasti,  
 Quae sublime tuum nomen in astra ferent.
- 5 Dive senex, te pro meritis ingentibus apte  
 Laudare humanum non valet ingenium.  
 In te divinum quiddam conspeximus, unde  
 Quis poterit laudis enumerare tuas?
- Grandia conamur tenues tamen, ut datur, et nos
- 10 Et canimus parvis hic tua gesta modis.  
 Insuper aeratis insculpsimus illa tabellis,  
 Allicere ut plures inspiciendo queant.  
 Accipe dona tui, quamvis non magna, Treteri,  
 Qui tibi prae multis charus alumnus erat.
-